

Elb. 91.



M. ACCI PLAVTI
R V D E N S

AD EDITIONVM ANTIQVARVM FIDEM
TVM AD CRITICORVM EMENDATIONES
ET AD METRICAE LEGIS NORMAM
PASSIM REFACTA

METRO IN SINGVLIS VERSIBVS NOTATO
APPOSITIONE APICVM
IN IAMBICIS ET TROCHAICIS PER DIPODIAS
IN ANAPAESTICIS ET CRETICIS ET BACCHIACIS
PER MONOPODIAS

ACCREDIT
RICHARDI BENTLEII
DE METRIS TERENTIANIS
Σ Χ Ε Δ Ι Α Σ Μ Α

ITEM
GABRIELIS FAERNI
DE VERSIBVS COMICIS
LIBER IMPERFECTVS

EDIDIT
FRIDERICVS VOLGANGVS REIZIVS

LIPSIAE APVD SVIKERTVM
c10 1000 LXXXIX

M. ACCI PLAVTI
R. V. D. E. N. S.

AD EDITIONEM ANTIQVARIUM LIBRARIUM
ET AD CRITICORVM EMENDATIONEM
ET AD METRORVM REGVM CONCORDIAM
PASSIM REPERTA

METRO IN SINGVLIS VERSVS NOTATO
PROPOSITIONE ANTIQVA
IN LAMPOIS ET PROPHANEIS PER DIODORUM
IN ANABASIS SEPTIMO LIBRO REPERTA

**KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE**

DR. METRIS PERMUTATIONIS
EXEPLANATA

GABRIELIS FABRI
DE VERSIVS CONCORDIA
LIBER IMPRINTVS

EDIDIT
FREDERICVS VOLFGANGVS REINIVS

LIBRARI AVD. VIKENTIVM
MDCCCXXXIII

RVDENS PLAVTI

DRAMATIS PERSONAE

ARCTVRVS prologus	PTOLEMOCRATIA sacerdos Veneris
SCEPARNIO seruus Daemonis	PISCATORES
PLEVSIDIPPVS adolescens	TRACHALIO seruus Pleusidippi
DAEMONES fenex	LABRAX leno
PALAEISTRA et	CHARMIDES hospes Labracis
AMPELISCA mulieres in seruitute apud lenonem	LORARI
	GRIPVS Daemonis seruus piscator

ARGVMENTVM

Reti piscator de mari extraxit vidulum,
Vbi erant herilis filiae crepundia,
Dominum ad lenonem quae surrepta venerat;
Ea in clientelam sumpte imprudens patris
Naufragio eiecta deuenit: cognoscitur,
Suoque amico Pleusidippo iungitur.

ARCTVRVS PROLOGVS

Qui gentes omnes mariaque et terras mouet,
Eius sum ciuis ciuitate caelitem.
Ita sum ut videtis splendens stella candida,
Signum quod semper tempore exoritur suo
5 Hic atque in caelo. nomen Arcturo est mihi.
Noctum sum in caelo clarus atque inter deos:

A

- Intér mortales ámbulo autem intérdius.
 Et ália signa dé caelo ad terram áccidunt.
 Qui est ímperator díuúm atque hominum Iúppiter,
 10 Is nós per gentes álium aliuta dísparat,
 Hominúm qui facta, móres, pietatem ét fidem
 Noscámus: vt quemque ádiuuet opuléntia.
 Qui fálfas lites fálfis testimóniis
 Petúnt, quique in iure ábiurant pecúniam,
 15 Eorúm referimus nómina exscripta ad Iouem.
 Cotídie ille scít, quis hic quaerát malum.
 Qui hic lítem adipisci póstulant periúrio
 Malí, res fálfas qui ímpetrant apúd iúdicem:
 Iterum ille eam rem iúdicatam iúdicat:
 20 Maióre multa múltat, quam lítem aúferunt.
 Bonós in aliis tábulis exscriptós habet.
 Atque hóc scelesti indúcut in animúm suum,
 Iouém sé placare pósse donis, hóstiis:
 Et óperam et sumtum pèrdunt. id eo fit, quia
 25 Nihil éi acceptum est á periuris súpplici.
 Facílius, síqui píus est, a dis súpplicans,
 Quam qui scelestust, ínueniet veniám sibi.
 Iccírco moneo vós ego haec, qui estis boni,
 Quique aétatem agitis cúm pietate et cúm fide,
 30 Retinéte porro, póst factum vt laetémini.
 Nunc, húc qua caussa véni, argumentum éloquar.
 Primúm dum huic esse nómen vrbi Díphilus
 Cyrénas voluit. íllic habitat Daémones
 In agro átque villa próxuma, proptér mare,
 35 Senéx, qui húc Athenis éxful venit, haúd malus.

- Neque is ádeo propter málitiam patriá caret:
 Sed dum álios feruat, se ímpediuit ínterim.
 Rem béne paratam cómitate pérdidit.
 Huic filiola olim vírgo periit páruola:
 40 Eam de praedone vír mercatur péssumus:
 Is eam húc Cyrenas léno aduexit vírginem.
 Adolésens quidam ciuis huius Átticus
 Eam vídit ire e lúdo fidicinió domum.
 Amáre occoepit: ád lenonem deuenit,
 45 Minis triginta sibi puellam déstinat,
 Datque árrhabonem, et iúreiuando álligat.
 Is léno, vt se aequum est, flócci non fecit fidem,
 Neque quód iuratus ádolescenti díxerat.
 Ei érat hospes, par illius, Siculús, fenex
 50 Sceléstus, Agrigentínus, vrbis próditor:
 Is illius laudare ínfít formam vírginis,
 Et áliarum itidem, quae eíus erant muliérculae.
 Infít lenoni suádere, vt secúm simul
 Eat ín Siciliám: ibi ésse homines volúptários
 55 Dicít: potesse ibi fieri eum díuitem:
 Ibi ésse quaestum máximum meretricibus.
 Persuádet. nauis clánculum condúctur.
 Quidquid erat, noctu in náuem comportát domo
 Leno: ádolescenti, qui puellam ab eo émerat,
 60 Ait sése Veneri velle votum sóluere.
 Id híc est fanum Véneris, et eo ad prándium
 Vocáuit adoléscentem hunc. ipse hinc illico
 Conscéndit nauem, atque áuehit meretrículas.
 Adoléscenti alii nárrant, vt res gésta sit:

- 65 Lenónem abiuisse. ád portum adolescens venit:
 Illórum nauis lónge in altum abscésserat.
 Ego, quóniam video vírginem asportárier,
 Tetuli eíi auxiliúm et lenóni exitiúm simul:
 Incrépui hibernum, et flúctus moui máritimos.
- 70 Nam signum Arcturus ómnium sum acérrimum:
 Veheméns sum exoriens; quum óccido, veheméntior.
 Nunc ámbo, leno atque hóípes, in faxó simul
 Sedént eiecti: náuis contraéta ést ibus.
 Illa aútem virgo atque áltera itidem ancéllula,
- 75 De náui timidæ désiluerunt ín scapham.
 Nunc eás ab faxo flúctus ad terrám ferunt,
 Ad víllam illius, éxful vbi habitát fenex,
 Quoius déturbauit véntus tectum et tégulas.
 Et séruos illic ést eius qui egreditúr foras.
- 80 Adolécens huc iam aduéniet, quem vidébitis,
 Qui illám mercátust dé lenone vírginem.
 Valéte, vt hostes véstri diffidánt sibi.

ACTVS PRIMVS. SCENA PRIMA

SCEPARNIO

- P**ro di immortales, tēpestatem cuiusmodi
 Neptūnus nobis nócte hac misit próxuma!
 Detéxit ventus víllam. quid verbís opust?
 Non véntus fuit, verum Álcumena Eurípidi:
- 5 Ita ómnís de tecto déturbauit tégulas:
 Illústrioris fécit, fenēstrasque índidit.

ACTVS PRIMVS. SCENA SECVNDA

PLEVSIDIPPVS. SCEPARNIO
DAEMONES

Et vós a voſtris ábduxi negótiis,
Neque íd proceſſit, quá vos duxi grátia,
Neque quíui lenonem ád portum prehéndere.
Sed meá deſidia ſpém deſerere nólui:

5 **E**o vós amici détinui diútius.

Nunc húc ad Veneris fánum venio víſere,
Vbi rém diuinam ſé facturum díxerat.

ſc. Si ſápiam, hoc, quod me máctat, conciñém lutum.

PL. Prope me híc neſcio quis lóquitur. DAE. heus
Scepárnio!

10 **ſc.** Qui nóminat me? DAE. quí pro te argentúm dedit.

ſc. Quafi mé tuum eſſe ſéruom dicas, Daemones?

DAE. Luto vſuſt multo, múltam terram cónfode,

Villam íntegundam intéllego totam mihi:

Nam núnc perlucet éa, quam cribrum, crébrius.

15 **PL.** Patér ſalueto, ambóque adeo. DAE. ſaluós fieſ.

ſc. Sed vtrúm tu mas an fémína es, qui illúm patrem

Vocés? **PL.** vir ſum equidem. DAE. quære vir porró
patrem.

Filiolam ego vnám hábui, eam vnám pérdidi.

Viríle ſecus nunquam vllüm habui. **PL.** at dí dabunt.

20 **ſc.** Tibí quidem hercle, quíſquis es, magnúm malum,

Qui orátione hic óccupatos óccupes.

PL. Iſtécine vos habitátis? **ſc.** quid tu id quærítas?

An, quó furatum vénias, veſtigás loca?

- PL. Pecúliosum eum esse decet seruum et improbum,
 25 Quem heró praesente haud praetereat oratio,
 Quique inclementer dicat homini libero.
 sc. Et impudicum & impudentem hominem addeceat,
 Molestum vltro aduenire ad alienam domum,
 Cui debeatúr níl. DAE. tace Scepárnio.
- 30 Quid ópus est, adolescens? PL. isti infortúnium,
 Qui praefestinet, vbi herus assit, praeloqui.
 Sed nisi molestumst, paucis percontarier
 Volo ego ex te. DAE. dabitur ópera, atque in negotio.
 sc. Quin tu in paludem is, exsiccasque arundines,
- 35 Qui prótegamus villam, dum sudumst. DAE. tace.
 Tu, siquid opus est, dice. PL. dic, quod té rogo.
 Ecquem tu hic hominem crispum, incanum videris,
 Malum, periurum, palpatores. DAE. plurimos.
 Nam ego própter eiusmodi viros viuó miser.
- 40 PL. Huc dico in fanum Veneris qui mulierculas
 Duas secum adduxit, quique adornarit sibi,
 Vt rem diuinam faceret aut hodie aut heri.
 DAE. Non hercle, adolescens, iam hos dies complus-
 culos
 Quenquam istuc vidi sacrificare: neque potest
- 45 Clam me esse, siqui sacrificant. semper petunt
 Aquam hinc, aut ignem, aut vascula, aut cultrum, aut
 veru,
 Aut aulam extarem, aut aliquid. quid verbis opust?
 Veneri paravi vasa & puteum, non mihi.
 Nunc interuallum iam hos dies multos fuit.
- 50 PL. Vt verba praehibes, me periisse praedicas.

DAE. Meá quidem hercle caússa saluos fíis licet.

sc. Heus tú, qui fana véntris caússa círcumis,

Iubére meliust prándium ornari domi.

Fortásse tu huc vocátus es ad prándium :

55 Ille quí vocauit, nállus venit. PL. ádmódum.

sc. Nullúmst periculum te hinc ire impransúm
domum.

Cererém te meliust quám Venerem sectárier :

Amóri haec curat, trítico curát Ceres.

PL. Delúdificauit me ille homo indignis modis.

60 DAE. Pro di ímmortales, quíd illuc est, Scepárnio,

Hominúm secundum líttus? sc. vt mea opínio est,

Proptér viam illi súnť vocati ad prándium.

DAE. Quí? sc. quía post coenam, crédo, lauerúnt heri.

Confrácta nauis ín mari est illis. DAE. ita est.

65 sc. At hércle nobis vílla in terra & tégulae. DAE. hui,

Homúnculi quanti éstis! eiecti vt natant!

PL. Vbi súnť ii homines, óbsecro? DAE. hac ad dex-
teram,

Vidén' secundum líttus? PL. video. séquimini.

Vtinám sit is, quem ego quaéro, vir facérrimus!

70 Valéte. sc. si non móneas, nosmet mémínimus.

Sed ó Palaemon, sáncte Neptuní comes,

Quique hércule illi sócius esse díceris,

Quod fácinus video! DAE. quíd vides? sc. muliér-
culas

Videó sedenteis ín scapha solás duas.

50 Vt afflíctantur míserae! euge, euge, pérbene,

Ab saxo auortit flúctus ad líttús scapham.

- Nequē gubernator vñquam potuit réctius.
 Non vídísse vñdas mé maioris cénseo.
 Saluaé sunt, si illos flúctus deuitáuerint.
- 80 Nunc, núnc periculúmíst! eiecit álteram.
 At in vado est. iam fáciie enabit. eúgepae!
 Viden', álteram illam vt flúctus eiecít foras!
 Surréxit: horfum sé capeffit; sálua res.
 Desiluit haec autem áltera in terram é scapha.
- 85 Vt praé timore in génuá in vñdas cóncidit!
 Saluást: euasit éx aqua. iam in líttore est.
 Sed déxtrouorfum auórfa it in malám crucem.
 Hem, errábit illaec hódie! DAE. quid íd refért tua?
sc. Si ad fáxum quo capéssit, ea deorsúm cadet,
- 90 Errátionis fécerit compéndium.
DAE. Si tú de illarum coénaturus vésperi es,
 Illis curandum cénseo, Scepárnio:
 Si apúd méd esurus és, mihi dari operám volo.
sc. Bonum aéquomque oras. DAE. séquere me hac
 ergó. sc. sequor.

ACTVS PRIMVS. SCENA TERTIA

PALAESTRA

- P**ol nímio hominúum fortúnae mínus
 Miseraé memorántur, quám reapsé
 Expériundo illis dátur acerbum.
 Hoc Deó complácitum est? mé timidám,
- 5 Eiéctam in incértas régionés,
 Hoc órnatu órnatam írcedére?
 Hancíne ego ad rém natám miserám

- Me mémorabo? háncine egó partém
 Capió ób pietátem praécipuám?
- 10 Nám hóc mi haud labóri est labórem hunc potíri,
 Sĭ érga paréntem aut deós me impiáui:
 Sed íd si paráte curáui vt cauérem,
 Tŭm hóc mi indecóre,
 Iníque, immodéste datís di.
- 15 Nám quíd habébunt sibi igitur ímpĭi
 Posthác, si ad hunc modum ést innoxíus honor
 Apúd vos? nam mé si aut paréntes sceléste
 Fecísse sciám, minu' mé miserér.
 Sed herúle scélus me sóllicitát:
- 20 Eius me ímpietás male habét. nauem ís
 Atque ómnia perdidit ín mari.
 Haec éius sunt bonórum reliquiaé. etiam
 Quae simul vécta mecum ín scaphast, éxcidit.
 Núnc ego sóla sum.
- 25 Quae mihi si foret sátua faltém, labor
 Lénior éstet hic éius operá mihi.
 Nunc quám spem, aut opem, aut consíli quíd capéssam;
 Ita híc misera sólís locis cómpotíta?
 Hic fáxa sunt! hic máre sonat!
- 30 Nec quisquam homo mi obuiám venit.
 Hóc quod indúta sum, sŭmmae opes óppido.
 Né cibus, né locum técta quo sŭm, scio.
 Quae mihi est spés, qŭa mé velim víuere?
 Né loci gnára sum, né diu ante híc fui.
- 35 Sáltém aliquém velim, quí mihi ex hís locis
 Aút viam aut fémitam mónstret: ita núnc ego

Hác an illác eam, incérta sum cónsili:

Néc prope vsquam híc quidem cúlturn agrum cón-
spicor.

Álgor, errór, pauor, mémbra mi omnía tenent.

40 Haéc parentés mei

Haud scítis míseri, mé nunc íta

Míseram ésse vti súm.

Líbera ego prognáta fuui máxume, nequídquam fuui.

Nunc quí minus ego séruio, quam sí forēm serua náta?

45 Neque quídquam vnquam illis prófui, qui mé sibi edu-
xérunt?

ACTVS PRIMVS. SCENA QVARTA

AMPELISCA. PALAESTRA

Quíd mihi meliúst, quíd magis in rem est, quám cor-
pore vitám secludam?

Íta male viuo, atque íta mi multae in pécctore sunt cu-
rae éxanimales.

Núnc dein vitae haud párcó: perdidí spem, qua med
óblectabam.

Omnia iam circúmcurfauí, atque ómnibú' latebris
pérreptaui

5 Quaérere confervám voce, oculis, aúribus, vt perué-
ftigarem.

Néque eam vsquam inuenió, neque quó eam, néque
qua quaeram eám, consultum est.

Né que quem rogitem rêsponsorem, quénquam ego
vll um ntérea inuenio.

ACTVS I SCENA IV II

Néque magi' folae térrae folae quam haéc loca sunt
atque haé regiones.

Néque, si viuit, eám viua vnquam quín viuam in-
ueniám, desistam.

10 PA. Quaenam vox mihi prope híc sonat?

AM. Pértimuí: quis híc loquitur prope? PA. spés
bona, obsecró, subuenta

AM. Múlier est, muliébris vox mihi ad aúreis venit:
éximet illa

Éx hoc me miserám metu?

BA. Certé muliebris vóx aureis tetigít meas.

15 Num ámpelísca óbsecro est? AM. tén' Palaestra aúdio?

PA. Quín voco, vt me aúdiat, nómine illám suo.

Ámpelísca! AM. hém, quis est? PA. égo tua Palaé-
stra sum.

AM. Díc, vbi es? PA. pól ego nunc ín malis plúri-
mis.

AM. Sócia sum, nec minor párs meast quám tua.

20 Séd videre éxpeto té. PA. mihi es aémula.

AM. Cónsequamúr gradu vócem. vbi es? PA. ecce
me.

Ád me áccede, átque adi cóntrá. AM. fit sédulo.

PA. Cédo mihi manum. AM. áccipe en. PA. víuín',
dic óbsecro?

AM. Tú facis mé quidem víuere vt núnc velim,

25 Quándo mi té licet tángere. vt víx mihi

Crédo ego hoc, té tenere! óbsecro, ampléctere,

Spés mea! vt me ómnium jám laborúm leuas!

PA. Óccupas praéloqui, quae meá orátio est.

Núnc abire hinc decet nós. AM. quo, amabo, sibi-
mus?

30 PA. Lítus hoc pésequamúr. AM. sequor, quó lubet.

PA. Sícine hic cum víida véste grassábitur?

AM. Hóc quod est, id necessárium est pépeti.

Séd quid hoc óbsecro est? PA. quíd? AM. viden'?

PA. quíd vides?

AM. Fánum amabó videsne hóc? PA. vbi? AM. ad
déteram.

35 PA. Videór decorum díis locum tuérier.

AM. Haud lónge abesse opórtet homines hinc: ita hic

Lepidúst locus. nunc, quisquis est deú', veneror,

Vt nós ex hac aerúmna míseras éximat,

Inopés aliquo auxilio ádiuuet.

ACTVS PRIMVS. SCENA QVINTA

SACERDOS. PALAESTRA

AMPELISCA

Qui súnť, qui a patróna precés mea expetéssunt?

Nam vóx me precántum huc forás excitáuit.

Bonam átque obsequéntem deam, átque haud grauás
tam

Patrónam exsequúntur, benígnamque múltum.

5 PA. Iubémus te saluere máter. PA. saluete

Puélle. sed vnde

Íre vos cum víida véste dicam, óbsecro,

Tam maéstiter vestítas?

PA. Íllico hinc ímus haud lóngule ex hóc loco.

- 10 Verũm hinc lónge abest, vnde vectae hũc sumus.
 SA. Nẽmpe equo líneo pẽr vias caerulas
 Esti vectae. PA. admodum. SA. ergo aequius vós erat
 Candidatås venire hóstiatåsque ad hoc
 Fánum. ad istũnc modum nõn veniri solet.
- 15 PA. Quaeñe eiectae é mari ambae fumus, te óbsecro,
 Vnde nos hóstias ágere voluisti huc?
 Nũnc tibi amplẽctimur gẽnua egentēs opum,
 Quae ín locis nẽcĩis nẽcĩa spẽ sumus,
 In tua vt rẽcipias tẽcta, seruẽsque nos.
- 20 Misérarumquẽ tẽ ambũm vti miserẽat,
 Quibũs nec locũst vllu, nec spes parata est,
 Neque hóc ampliũs, quod vidēs, nobis quĩdquam est.
 SA. Manũs mi date, exurgite á genibus ambae:
 Misericordiõr nulla me est feminarũm.
- 25 Sed hĩc pauperēs et inopēs res, puellae.
 Egomet vix vitãm colo: Veneri serũio cibõ meo.
 AM. Veneris fanum, óbsecro, hóc est? SA. fateor. huĩus
 ego
 Fani sacerdos clũeo, verum, quĩdquid est,
 Cõmiter a me fiet, nostra quõ valebit cõpia.
- 30 Ite hãc mecum. PA. amĩce benĩgneque, mãter,
 Honõrem nostrum habēs. SA. oportet.

ACTVS SECVNDVS. SCENA PRIMA

PISCATORES

Omnĩbu' modis, qui pauperes sunt hõmines, miseri
 viuunt,

Praefertim quibꝰ nec quaestus est, nec didicerunt
artem ullam.

Necessitate, quidquid est domi, id sat est habendum.
Nos, iam de ornatu propemodum, ut locupletes si-
mus, scitis.

5 Hic hami atque haec harundines sunt nobis quaes-
tu et cultu.

Cotidie ex vrbe ad mare huc prodimus pabulatum.
Pro exercitu gymnastico et palaestrico, hoc habemus,
Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus, conchas,
Marinam vriticam, musculos, placusias friatas.

10 Post id piscatum hamatilem et saxatilem aggredimur,
Cibum captamus e mari. sin euentus non venit,
Neque quidquam captum est piscium, falsi lautique
pure

Domum redimus elanculum, dormimus incoenati.

Atque ut nunc valide fluctuat mare, nulla nobis spes est.

15 Nisi quid concharum capimus, coenati sumus profecto.
Nunc Venerem hanc veneremur bonam, ut nos lepi-
de adiurit hodie.

ACTVS SECVNDVS. SCENA SECVNDA

TRACHALIO. PISCATORES

Animo aduorsavi sedulo, ne herum vsquam praeter-
irem.

Nam quum modo exhibat foras, ad portum se aibat ire.

Me huc obuiam iussit sibi venire ad Veneris fanum.

Sed quos perconter, comode eccos video adstare:
adibo.

5 Saluete fures maritimi, conchitae atque hamiotae,
 Famelica hominum natio. quid agitis? ut peritis?
 P. Ut piscatorem aequom est, fame, sitique, speque.

TR. ecquenam huc,
 Dum hic adstas, vidisti sterna facie, rubicundum,
 fortem

Venire, qui tres duceret chlamydatos cum machaeris?

10 P. Nullum istac facie, ut praedicas, venisse huc scimus.

TR. equem

Recaluom ac filonem senem, statutum, ventriosum,
 Tortis superciliis contracta fronte, fraudulentum,
 Deorum odium atque hominum, malum, viti probri-
 que plenum,

Qui duceret mulierculas duas secum sati ventistas?

15 Cum istiusmodi virtutibus operisque natus qui sit,
 Eum quidem ad carnificem est aequius quam ad Venerem
 commeare.

TR. At si vidistis, dicite. P. huc profecto nullus venit.

Valé. TR. valet. credidi: factum est quod suspicabar.

Data verba hero sunt: leno abit scelustus exsulatum.

20 In nauem adscendit, mulieres auexit. ariolus sum.

Is huc herum etiam ad prandium vocauit. sceleris
 semen!

Nunc quid mi meliust, quam illico hic operiar herum
 dum veniat?

Eadem hanc sacerdotem Veneriam, siquid amplius
 scit,

Si videro, exquisiuero: faciet me certio rem.

ACTVS SECVNDVS. SCENA TERTIA

AMPELISCA. TRACHALIO

Intéllego: hanc quae próxima hic est villa Veneris
fáno,

Pulfáre iuffisti, atque aquam rogáre. **TR.** cuiá ad aúris
Vox mi áduolauit? **AM.** óbsecro, quis híc loquitur?
quem vídeo?

TR. Estne Ámpelísca haec, quae foras e fáno egredi-
tur? **AM.** éstne hic

5 Trachálio, quem cónspicor, calátor Pleúsidíppi?

TR. Ea ést. **AM.** is est. Trachálio salué. **TR.** salue Am-
pelísca.

Quid agís tú? **AM.** aetatem haúd malam male. **TR.**
mélius omináre.

AM. Verum ómnes sapientés decet conférre et fabulári.
Sed Pleúsidíppus túus herus vbi amábo est? **TR.** eia
véro,

10 Quasi nón sit intus. **AM.** néque pol est, neque vllus
quidém huc vénit.

TR. Non vénit? **AM.** vera praédicas. **TR.** non ést
meum, Ampelísca.

Sed quám mox coctum est prándium? **AM.** quod pran-
dium, óbsecró te?

TR. Némpe rém diuinam fácitis hic. **AM.** quid só-
mnia, amábo?

TR. Certe húc Labrax ad prándium vocáuit Pleúsi-
díppum,

15 Herúm meum herus vofter. AM. pol haud miránda
facta dicís.

Si deós decepit ét homines, lenónum more fécit.

TR. Non rém diuinam fácitis hic vos, néque herus? AM.
arioláre.

TR. Quid tu ágis hic igitur? AM. éx malis multís metu-
que fúmmo,

Capitálisque ex perículo, orbas aúxilique opúmque huc

20 Recépít ad fe Véneria hæc facérdos me et Palaéfram.

TR. An híc Palaeftra eft, óbsecro te, herí mei amica?
AM. céрто.

TR. Inéft lepos in núncio tuo mágnus, mea Ampelíſca.
Sed íftúe. periculum pérubet quod fúerit vobis fcíre.

AM. Confrácta, mi Trachálio, eft hac nócte nauis nóbis.

25 TR. Quid náuis? quae íftaec fábulá eft? AM. non aúdi-
uíſti, amábo,

Quo pácto leno clánculum nos hínc auehere vóluit

In Síciam, et quidquíd domi fuit, ín nauem impofúit?

Ea núnc perierunt ómnia. TR. oh! Neptúne lepide, fálué:

Nec te áleator vllus eft fapiéntior. profécfo

30 Nimi? lépide iecifſi bolum: periúrum perdidíſti.

Sed núnc vbi eft lenó Labrax? AM. periit potando,
opínor.

Neptúnus magnis póculis hac nócte eum inuitáuit.

TR. Credo hércle, anancaeó datum quod bíberet. vt ego
amó te,

Mea ámpelíſca! vt dúlcis es! vt múlſa dicſta dicís!

35 Sed tu ét Palaeftra quómodo faluae éſtis? AM. ſcibis
fáxo.

E náui timidæ ambæ in scapham insilúimus, quia vidémus

Ad fáxa nauem férrier: properáns exfolui réstim,
Dum illi timent. nos cùm scapha tempéctas dextro-
uórsu

Différt ab illis. itaque nos ventisque fluctibúsque

- 40 Iactámur exémpis plúrimis miserae perpetuam nóctem.
Vix hódie ad littus pértulit nos véntus exanimátas.

TR. Nouí, Neptunus ita solet: quamuis fastidiósus
Aedilis est: siquæ improbae sunt mérces, iactat ómnes.
AM. Vae cápiti atque aetati tuae! TR. tuó, mea Ampelísca.

- 45 Sciuí lenonem egó facere hoc quod fécit: saepe dixi.
Capillum promittam, óptimumst, occípíamque ariolári.
AM. Cauístis ergo tu átque herus, ne abíret, quum sci-
bátis?

TR. Quid fáceret? AM. si amabát, rogas quid fáceret?
asseruáret

Dies nóctesque: in custódia essét sémpér. verum
écastor,

- 50 Vt múltí, fécit: ita probe curauit Pleusidíppus.
TR. Cur tu istuc dicis? AM. res palam est. TR. scin' tu?

étiam qui it lauátum in
Balíneas, ibi quum sédulo sua véstimenta séruat,
Tamén súrripiuntur: quippe qui, quem illórum ob-
seruet, fálst.

Fur fáciie, quem obseruét, videt: custós, qui fur sit,
néscit.

- 55 Sed dúce dum me ad illam. vbi est? AM. i fáne in fa-
num huc íntro,

Sedentem flentemque opprimes. TR. vt iam istuc mihi
moléstum est!

Sed quid flet? AM. ego dicam tibi: sese hoc excruciat
ánimi,

Quia léno ademit cístulam ei, quam habébat, vbique
habébat

Quí suos parentes nóscere potéssét: eam verétur

60 Ne périerit. TR. vbi ea nám fuit cístéllula? AM. ibidem
in náui.

Conclúsit ipse in vídulum, ne cópia esset éius,

Quí suos parentes nósceret. TR. o fácinus impudicum,
Quam liberam esse opórteat, seruíre postuláre!

AM. Nunc eúm cum náui scilicet abiúisse pessum in áltum.

65 Et aúrurum et argentúm fuit lenónis omne ibídem.

Credo áliquem se immerse, átque eum excepísse. id mi-
fera maéstast,

Sibi eórum euenisse ínopiam. TR. iam istóc magis vsus
fáctost,

Vt eam íntro, consolérque eam, ne sic se excruciet ánimi.

Nam múlta praeter spém scio multís bona euenísse.

70 AM. At ego étiam, qui speráuerint, spém décepísse
múltos.

TR. Ergo ánimus aequus óptimum est aerúmnae con-
diméntum.

Ego eo íntro, nisi quid vis. AM. eas. ego, quód mihi
imperáuit

Sacérdos, id faciam, átque aquam hinc de próxumo
rogábo.

Nam extémplo, si verbis suis peterém, daturós dixit.

75 Neque digniorem cénseo vidisse anum me quénquam,
Cui deós atque homines cénseam benéfaceré magi
decére.

Vt lépide, vt liberáliter, vt honéste atque haud grauáte
Timidás, egentes, vídas, eiéctas, exanimátas
Accépit ad sese! haúd fecus quam si éx se essemus nátae.

80 Vt eápsé sic succíncta aquam calefáctat, vt lauémus!
Nunc, né morae illi sím, petam hinc aquam, vnde mihi
imperáuit.

Heus, écquíst in villa? écquis hoc reclúdit? ecquis
pródit?

ACTVS SECVNDVS. SCENA QVARTA

SCEPARNIO. AMPELISCA

Quis ést, qui nostris tám proterue fóribus facit iniú-
riam?

AM. Ego sum. sc. hém, quid hoc boni ést? heu, edepol
spécie lepida múlterem!

AM. Sálué adolescens. sc. ét tu multum sálueto adole-
scéntula.

AM. Ád vos venio. sc. accépiam hospítio, sí mox venies
véspéri,

5 Ítem vt affectam: nám nunc nihil ést qui te mane
múlterem —

Séd quid ais, mea lépida, hilara? AM. aha, nímium fami-
liáriter

Me áttrectas. sc. pro di ímmortales, Véneris effigia
háec quidem ést.

Vt in ocellis hílaritudo ést! éia, corpus quoúsmodi!

Súbuolturium! Illúd quidem subáquilum volui dicere.
 10 Vél papillae quoíusmodi! tum quae índoles in fáuio est!

AM. Nón ego sum pollúcta pago. pótin' vt me absti-
 neás manum?

SC. Nón licet te síce placide béllam belle tángere?

AM. Ótium vbi erit, túm tibi operam lúdo et deliciaé dabo.

Núnc, quamobrem huc sum míssa, amabo, vél tu mí-
 aias, vél neges.

15 SC. Quid nunc vis? AM. sapiéti ornatus, quíd velim,
 indiciúm facit.

SC. Meús quoque hic sapiéti ornatus, quíd velim, in-
 diciúm facit.

AM. Haéc facerdos hínc me petere iússit a vobís aquam.

SC. Át ego basilicús sum: quem nisi óras, guttam nón
 feres.

Nóstro illum puteúm periclo et férramentis fodimus.

20 Nisi multis blandítiis, a me gútta ferri nón potest.

AM. Cúr tu aquam grauáre, amabo, quam hóstis hosti
 cómmodat?

SC. Cúr tu operam grauáre mihi, quam cíuis cíui cóm-
 modat?

AM. Immo etiam tibi, méa voluptas, quae voles faciam
 ómnia.

SC. Eúgepae! saluús sum: haec iam me suám volupta-
 tém vocat.

25 Dábitur tibi aqua, né nequidquam mé ames. cedo mi vr-
 nám. AM. cape.

Própera amabo efférre. SC. manta: iam híc ero, volú-
 ptás mea.

AM. Quíd facerdotí me dicam hic démoratam tám
diu?

Vt etiam nunc mísera timeo, vbi óculis intueor mare!

Sed quíd ego mísera vídeo procul in líttore?

30 Meum herúm lenonem Síci-liensẽmque hóspitem?

Quos périisse ambos mísera censebam ín mari.

Iam illúd mali plus nóbis viuit, quám ratae.

Sed quíd ego cesso fúgere in fanum, ac dícere haec

Palaéstrae, in aram vtí confugiamús prius,

35 Quam huc scélestus leno véniat, nosque hic ópprimat?

Confúgiam hinc: res ita súppetit subitó mihi.

ACTVS SECVNDVS. SCENA QVINTA

SCEPARNIO

Pro di ímmortales, ín aqua nunquam crédidi
Volúptátem inesse tántam! vt hanc traxí lubens!

Nimíó minus altus púteus visust, quám prius.

Vt sine labore hanc éxtraxi! praefiscine,

5 Satís nequam sum, vtpóte quí hodie incéperim

Amáre. hem tibi aquam, méa tu bella. hem sic volo

Te férre honeste, vt égo fero: vt placeás mihi.

Sed vbi tu es delicáta? cape aquam hanc fıs. vbi es?

Amat hércle me, vt ego opínor: delituít mala.

10 Vbi tu és? etiamne hanc vrnám es acceptúra? vbi es?

Commódule melius. tándem vero fério.

Etiam áceptura es vrnám hanc? vbi tu es géntium?

Nusquam hércle equidem illam vídeo: ludos mé facit.

Appónam hércle vrnám íám ego hanc in mediá via.

- 15 Sed áútem quid si hanc hinc abstulerit quispiam
Sacram vrnám Veneris? mi exhibeat negotium.
Metuo hércle, ne illa múlier mi infidiás locet,
Vt cómprehendar cóm sacra vrná Véneria.
Nempe óptumo me iúre in vinclis énicet.
- 20 Magístrátus, síquis me hanc habere viderit.
Nam haec lítteratast: áb se cantat cúia fit.
Iam hercle éuocabo hinc hanc sacerdotém foras,
Vt hanc accipiat vrnám. accedam huc ad fores.
Heus síis, Ptolemocratía, cape hanc vrnám tibi.
- 25 Muliércula nescio quae hanc huc ad me détulit.
Intró ferunda est. répperi negotium:
Siquidém mihi his vltro ággerunda etiam ést aqua.

ACTVS SECVNDVS. SCENA SÉXTA

LABRAX. CHARMIDES

- Quí homó sese miserum átque mendicúm volet,
Neptúno credat sésé atque aetatém suam.
Nam síquis quid cóm eó rei commísit,
Ad hóc exemplum amíttit ornatúm domum.
- 5 Edepól Libertas lépida es, quae nunquám pedem
Voluísti in nauem cum Hércule vna impónere.
Sed vbi ille meus est hópes, qui me pérdidit?
Atque éccum incedit. сн. quó, malum, properás Labrax?
Nam equidém te nequeo cónsequi tam strénue.
- 10 L.A. Vtinam égo te priu'quám óculis vidissém meis,
Maló cruciatu in Siciliam perbíteres,
Quem própter hoc mihi óbtigit miseró mali!

- CH. Vtinám, quum in aedes me ad te adduxisti tuas,
In cárcere illo pótius cubuissém die!
- 15 Deosque immortales quaéro, dum viuás, vti
Omnés tui similes hóspites habeás tibi.
L.A. Malám Fortunam in aedis te adduxí meas.
Quid míhi scelesto tibi erat auscultátio?
Quidue hinc abitio? quidue in nauem inscénso?
- 20 Vbi pérdidi etiam plús boni quam míhi fuit.
CH. Pol mínime miror, náuis si fractást tibi,
Scelu' te ét sceleste pártá quae vexít bona.
L.A. Pessúm dedisti blándimentis mé tuis.
CH. Sceléstiozem coénam coenauí tuam,
- 25 Quam quae Thyestae antéposita est et Téreo.
L.A. Perii, ánimo male fit! cóntine, quaesó, caput.
CH. Pulmóneum edepol ními' velim vomitúm vomas.
L.A. Eheu, Palaéstra atque Ampelísca, vbi ésti' nunc?
CH. Piscibus in alto crédo praebent pábulum.
- 30 L.A. Mendícatem mi óbtulisti operá tua,
Dum tuís ausculto mágnidicis mendáciis.
CH. Bonam ést quod habeas grátiam meritó mihi,
Qui te ex insulfo fálsam feci operá mea.
L.A. Quin tu hinc is a me in máxumam malám crucem.
- 35 CH. Eás: easque rés agebam cómmodum.
L.A. Eheú, quis viuit mé mortalis míserior?
CH. Ego múlto tanto míserior, quam tú Labrax.
L.A. Quí? CH. quía ego indignus súm; tu dignu's, quí síes.
L.A. O scírpe, scírpe, laúdo fortunás tuas,
- 40 Qui sémper seruas glóriam aritúdinis.
CH. Equidém me ad velitátionem exerceo:

Nam omnia corusca praé tremore fabulor.

LA. Edepól, Neptune, es bálneator frígidus:

Cum véstimentis pósteaquam abs te abii, álgeo.

45 Ne thérmpoliúm quidem vllum ille ínstruit:

Ita fálfam praebet pótionem et frígidam.

CH. Vt fórtunati súnť fabri ferrárii,

Qui apúd carbones ássident! sempér calent.

LA. Vtinám fortuna núnc anatina vterer,

50 Vtí quum exiuissem éx aqua, arerém tamen!

CH. Quid, si áliquo ad ludos mé pro manducó locem?

LA. Quaprópter? CH. quia pol cláre crepito déntibus.

Sed núnc iure optumó me lauísse árbitror.

LA. Quí? CH. qui aúsus fuerim técum in nauem adscén-
dere,

55 Qui a fúndamento mi vsque mouísťi mare.

LA. Tibi aúscultaui: tú promittebás mihi

Illíc éssé quaestum máximum meretrícibus.

Ibi mé corruere pósse aiebas diúitias.

CH. Iam póstulabas te, ímpurata bélua,

60 Totám Siciliam déuoraturum ínsulam.

LA. Quaenám balaena meúm vorauit vídulum,

Aurum átque argentum vbi ómne compactúm fuit?

CH. Eadem illa, credo, quae meum marsúpium,

Quod plénum argenti fúit in faccipério.

65 LA. Eheú, redactus sum vsque ad vnam hanc tuniculam,

Et ad hoc misellum pállium. perii óppido!

CH. Vel cónfociare mihi quidem tecúm licet:

Aequás habemus pártes. LA. saltem sí mihi

Muliérculae essent sáluae, spes aliquaé forent.

- 70 Nunc si me adolescens Pleúfidippus viderit,
 A quo árrhabonem pró Palaestra accéperam,
 Iam se éxhibebit híc mihi negótium.
 CH. Quid, stúlte, ploras? tibi quidem edepol cópia est,
 Dum língua viuet, qui rem soluas ómnibus.

ACTVS SECVNDVS. SCENA SEPTIMA
 SCEPARNIO. LABRAX. CHARMIDES

Quíd illuc, obsecró, negoti, quód duae muliérculae
 Híc in fano Véneris signum fléntes amplexae tenent,
 Néscio quem metuéntes míserae? nócte hac vero
 próxima

Sé iactatas, átque eiectas hódie esse aiunt é mari.

- 5 LA. Óbscero hercle, adolécens, vbi istaec súnť, quas me-
 moras, múlieres?

sc. Híc in fano Véneris. LA. quot sunt? sc. tótidem,
 quot ego et tú sumus.

LA. Némpe meae. sc. némpe néscio istuc. LA. quá sunt
 facie? sc. scítula.

Vél ego amare vtrámuis possim, si probe appotús siem.

LA. Némpe puellae? sc. némpe molestus és: abí, víse,
 si lubet.

- 10 LA. Meás oportet íntus esse hic múlieres, mi Chármides.

CH. Iúppiter te pérdat, et si súnť, et si non súnť tamen.

LA. Íntro rumpam iam húc in Veneris fánum. CH. in
 barathrum máuelim.

Óbscero, hospes, dá mihi aliquid, vbi condormiscám, loci.

sc. ístic, vbi vis, condormisce: némo prohibet, públi-
 cum est.

- 15 CH. At vides me, ornátus vt sim véstimentis vuidis.
 Récipe me in tectúm, da mihi vestimenti aliquid áridi,
 Dúm mea arescúnt: in aliquo réferam gratiám tibi.
 sc. Tépillum eccillúd mihi vnum aréscit: id si vis, dabo;
 Eódem amictus, eódem tectus ésse soleo, si pluit.
- 20 Tu istaec mihi dato: éxarescant fáxo. CH. eho, an te
 poénitet,
 Ín mari quod élaui, nisi híc in terra iterum éluam?
 sc. Éluas tu, an émungare, cíccum non intérdúim.
 Tibi ego nunquam quídquam credam, nón accepto
 pignore.
 Tú vel suda, vél peri algu, vél tu aegrota, vél vale.
- 25 Bárbarum hospitém mihi in aedes, níl moror: fat lít
 tium est.
 CH. Iámne abis? venáleis illic dúctitauit, quisquis est:
 Nón est misericórs. sed quid ego hic ádsto infelix,
 vuidus?
 Quín abeo hinc in Véneris fanum, vt édormiscam hanc
 crápulam,
 Quám potaui praéter animi, quám libuit, senténtiam.
- 30 Quási vinis Graecis Neptunus nóbis suffudit mare.
 Ítaque aluum prodí sperauit nóbis falsis póculis.
 Quid opust verbis? si ínuitare nós paullisper pérgeret,
 íbídem obdormissémus: nunc vix víuos amísit domum.
 Núncc lenonem, quíd agat intus, vísam, conuiuám
 meum.

ACTVS TERTIVS. SCENA PRIMA

DAEMONES

- M**irís modis di lúdos faciunt hóminibus,
 Mirísque exemplis sómnia in somnís danunt.
 Ne dórmiētes quídē sinunt quíēscere.
 Velút ego hac noctē, quae praecessit próxima,
 5 Mirum átque inscitum sómniaui sómniū.
 Ad hirúndinū nídum vísa est simia
 Adscénsionem vt fáceret, admolúrier:
 Neque eás eripere quíbat inde. póstibi
 Vidétur ad me simia adgredúrier:
 10 Rogáre, scalas vt darem vtendás sibi.
 Ego ad hóc exemplum simiae respóndeo,
 Natás ex Philomela átque ex Procne esse hirúndines.
 Ago cum illa, nequid nóceat meis populáribus.
 Atque illa nimio iám fieri ferócior.
 15 Vidétur vltro míhi malum minitárier.
 In iús vocat me. ibí tum ego nescio quómo
 Irátus videor médiam arripere simiam:
 Conclúdo in vincla béstiam nequíssumam.
 Nunc quam ad rem dicam hoc áttinere sómniū,
 20 Nunquam hódie quiui ad cóniecturam euádere.
 Séd quid hic in Véneris fano oritúr clamoris? ánimus
 mirat.

ACTVS TERTIVS. SCENA SECVNDA

TRACHALIO. DAEMONES

Pró Cyrenensés populares! vóstram ego imploró fidem,
 Ágricolae, accolae propinqui qui éstis his regiónibus,
 Férite opem inopiae, átque exemplum péssimum pes-
 súmi date.

Vindicate, ne ímpiorum pótiór sit polléntia,
 5 Quam ínnocentum, qui se scelere fieri nolunt nóbiles.
 Státuite exemplum ímpudenti, dáte pudori praémium.
 Fácite, hic lege pótiús liceat, quám vi, victo víuere.
 Cúrrite huc in Véneris fanum, vóstram iterum imploró
 fidem,

10 Quí prope hic adéstitis, quique audítis clamorém meum.
 Férite suppetiás, qui Veneri Véneriaequae antístitae
 Móre antiquo in cústodelam suúm commiserúnt caput.
 Praetorquete iniúriae priu' cóllum, quam ad vos pér-
 uenat.

DAE. Quíd ístuc est negóti? TR. per ego te haéc genua
 obtestór, senex,

Quísquis es. DAE. quin tu érgo omítte génuá, et quid
 fit, mi éxpedi,

15 Quód tumultués. TR. teque oro et quaéso, si sperás tibi
 Hóc anno multúm futurum sírpe et laserpícium,
 Eámque euenturam éxagogam Cápuam saluam et
 sóspitem,

Átque ab lippitúdi-ne vsque siccitas vt sít tibi.

DAE. Sánun' es? TR. seu tibi confidis fóre multam
 magúdarim,

20 Vt te ne pigeát dare operam míhi, quod te orabó, senex.

DAE. At ego te per crúra et talos térgumque obtestór
tuum,

Si tibi vlmeam vberem esse spéras virgidémiam,
Et tibi esse euénturam hoc anno vberem messém mali,
Vt mihi istuc dicás negoti quíd sit, quod tumúltues.

35 TR. Quí lubet maledícere? equidem tíbi bona optaui
ómnia.

DAE. Béne equidem tibi díco, qui, te dígna vt eueniánt,
precor.

TR. Óbsacro, hoc praeuórtere. DAE. ergo quíd negoti
est? TR. múlieres

Duae innocentes íntus hic sunt, tui índigentes aúxili,
Quíbus aduorsum iús legesque hic ínsignite iniúria

30 Fácta est fitque in Véneris fano. túm sacerdos Véneria
Índigne afflicátur. DAE. quis homo est tánta confi-
déntia,

Quí sacerdotem aúdeat violáre? sed eae múlieres

Quaé sunt? aut quid iús iniqui fit? TR. si das operam,
éloquar.

Véneris signum súnť amplexae: núnc homo audacíssu-
mus

35 Eás deripere vult. eas ambas esse oportet líberas.

DAE. Quis istic est, qui deós tam parui péndit? paucis
éxpedi.

TR. Fraúdis, sceleris, párricidi plénus, periuríssimus,
Légirupa, impudéns, impurus, ínuerecundíssimus:

Vno verbo absóluam, Leno est: quíd illum porro
praédicem?

40 DAE. Édepol infortúnio hominem praédicas donábilem.

TR. Quí sacerdotí scelestus faúces interprésserit.

DAE. At malo cum mágno suo hercle fécit. ite istinc
foras,

Túrbalio, Sparáx! vbi estis? TR. i óbsecro intro, súb-
ueni

íllis. DAE. iterum autem ímperabo? féquimini hac.

TR. age núnc iam,

45 Iúbe oculos elídere, itidem vt sépius faciúnt coqui.

DAE. Próripite hominem pédibus huc, itidém quasi
occisám suem.

TR. Aúdio tumúltum: opinor, léno pugnís péctitur.

Ními' velim improbíssumo homini málas edentáuerint.

Séd éccas ipsae huc égrediuntur tímidae e fano múlieres.

ACTVS TERTIVS. SCENA TERTIA

PALAESTRA. AMPELISCA

TRACHALIO

Núnc id est, quum ómnium cópiarum átque opum,
Aúxili, praésidi, víduitas nós tenet.

V'lla nec spécula est, quae salutem áfferat.

Néc, quam ín partem íngredi pérsequamúr, scio.

5 Máximo míseraë ambae ín metu núnc sumus.

Tánta ímportúnitas, tántaque iniúria

Fácta ín nos ést modo hic íntus ab nóstro hero.

Quí scelestús sacerdotem anum praécipem

Réppulit, própulit, pérquam índignís modis.

10 Nósque áb signo íntimo ví sua dérípuit.

Séd nũnc se vt rēs fõrtunaēque noſtraē ferunt,
Pār moriri ēſt. neque eſt mēliu' morte in malis
Rebus, miſeris.

TR. Quid ēſt? quae illaec orãtioſt? ceſſo hās ego con-
ſolãri?

15 Heús, Palaefra! PA. óbſecro, quí vocat?

TR. Ámpeliſca, heús! AM. quis eſt quí vocat?

PA. Quis is ēſt, qui nominãt? TR. ſi reſpexís, ſcies.

PA. Ó ſalutís meae ſpēs! TR. tace, ac bóno animo es.

Mé vide. PA. ſi modo id liceat, vt ne ópprimat

20 Vis, quae, vim mi afferam ípſa, adigit. TR. ah, dẽſine.
nimis inépta es.

AM. Deſiſte diētis nũnc iam me miſeram conſolãri.

PA. Niſi quíd re praefidium ápparas Trachãlio, acta haec
rēs eſt:

Certũmſt moriri, quãm pati graſſãri in me lenõnem.

Sed múliebri animo ſúm tamen: miſerae vbi venit in
mẽntem

25 Mihi mórtis, occupãt edepol metu' mẽmbra. TR. etſi
hoc acerbum,

Bonum ánimum habete. PA. nam, óbſecro, vnde ani-
mús mihi? TR. inueniẽtur.

Ne,inquãm, timete: affidite hic in ára. AM. iſtaec quid ára
Prodẽſſe nobis plús poteſt,quam ſignum in fano hic intus
Venerís, quod amplexaē modo, vnde abréptae per vim
miſerae?

30 TR. Sedẽte hic modo: ego hinc vós tamen tutãbor.
aram habẽte hanc

Vobís pro caſtris: moenia haec: hinc ego vos deſenſãbo.

Praefidio Veneris máltitiae Ienónis contra incédam.

AM. Tibi aúscultamus, et álma Venus ambaé téd obsecramus,

Aram ámplexantes hánc tuam lacrumántes, genibus níxae,

35 Nos ín custodiám tuam vt recípias, et tutére:

Illós scelestos, qui tuum fecérunt fanum páruí,

40 Vt vlciscare, nósque vt hanc tua páce aram obsidére

Patíare, quae elautae fumus operá Neptuni nóctu:

Ne inuífas habeas, néue íccirco nóbis vitio vórtas,

40 Si quíppiamíst, minú' bene quod lautum ésse tu arbitrére.

TR. Aequum hásce petere intéllego: decet ábs te id impetrári:

Ignóscere his te cónuenit: metús, id vt faciant, súbigit.

Te ex cóncha natam esse aútumant: caue tu hárum conchas spérnas.

Sed óptume eccum exít fenex, patrónus mihique et vóbis.

ACTVS TERTIVS. SCENA QVARTA

DAEMONES. LABRAX. LORARI

TRACHALIO. PALAESTRA

ET AMPELISCA

E'xi e fano, nátum quantum est hóminum sacrilegíssime.

Vós in aram abíte sessum. sed vbi sunt? TR. huc réspice.

DAE. óptume. LO. ístuc vólueramus. TR. íube modo accedát prope.

DAE. Tún' legirupiónem hic nobiscúm dis facere póstulas?

C

5 Púgnum in os impíngē. LA. iniqua haec pátiōr cum
pretiō tuo.

DAE. Át etiam minitátur audax. LA. iús meum ereptum
ést mihi:

Meás mihi ancíllas inuito me éripuisti. TR. ergó dato
Dé fenatu Cýrenensi quémuis opulentum árbitrum,
Sí tuas esse opórtet, niue eas ésse oportet líberas,

10 Níue te compíngi in carcerem ést aequum, aetatém-
que ibi

Te vsque habitare, dónec totum cárcerem contríueris.

LA. Nón hodie isti rei aúspicauí, vt cúm furcifero fábulę.

Té ego appello. DAE. cum ístoc primum, qui te nouit,
dísputa.

LA. Técum ago. TR. atqui mécum agendumst. súnťne
illae ancillae tuae?

15 LA. Súnť. TR. agedum ergo, tänge vtramuis dígitulo
minumó modo.

LA. Quid, si attigero? TR. extémplo hercle ego te
fóllem pugilatóriū

Fáciam, et pendentem încursábo púgnis, periuríssime.

LA. Míhi non liceat meás ancillas Veneris de ara ab-
dúcere?

DAE. Nón licet: ita est léx apud nos. LA. míhi cum vestris
légibus

20 Níhil est commercii: équidem iam istas ámbas educám
foras.

Tú fenex si istás amas, huc árido argentósf opus.

DAE. Hae áutem Veneri cómplacuerunt. LA. hábeat, si
argentúm dabit.

DAE. Déa tibi argentúm? nunc adeo vt meám scias sententiam,

Óccipito modo illis afferre vim ioculo pauxillulum,
25 Íta ego te hinc ornátum amittam, tu ípsus te vt non
nóueris.

Vós adeo, vbi ego innúero vobis, ni eí caput exoculássitis,

Quási murteta iúncis, ego vos vírgis circumuínciam.

LA. Ví agis mecum. TR. etiám vim opprobras, flágitiflagrántia?

LA. Tún' trifurcifer mihi audes inclementer dícere?

30 TR. Fáteor, ego trifúrcifer sum: tú es homo apprimé
probus.

Númqui minus hasce ésse oportet líberas? LA. quid,
líberas?

TR. Átque heras tuás quidem hercle, atque éx germana
Graécia:

Nam áltera haec est náta Athenis, ingenuis paréntibus.

DAE. Quid ego ex te audio? TR. hánc Athenis ésse natam liberam.

35 DAE. Méa popularis óbscero haec est? TR. nón tu Cyrenénsis es?

DAE. Ímmo Athenis nátus altusque éducatuſque Átticis.

TR. Óbscero, defénde ciues tuás, senëx. DAE. O mea filia,

Quúm ego hanc video, meárum me absens míseriarum
cómmones!

Tríma quae periústi mihi! iam tánta est, si viuít, scio.

40 LA. Árgentum ego pro ístisce ambabus, cúiae erant,
dominó dedi.

Quid mea refert, haec Athenis natae an Thebis sient,
Dum mihi recte seruitutem seruiant? TR. itane impu-
dens?

Tunc hic felles virginalis liberos parentibus
Sublectos habebis, atque indigno quaestu conteres?

45 Namque huic alterae quae patria sit, profecto nescio:
Nisi scio probiorem hanc esse, quam te impuratissime.
LA. Tuae istae sunt? TR. contende tergo, vter sit ergo
verior.

Ni tu offermentas habebis plures in tergo tuo,
Quam vlla nauis longa clauos, tum ego ero menda-
cissimus.

50 Postea adspicito meum, quando ego tuum inspectauro,
Nisi erit tam sincerum, vt quiuis dicat ampullarius,
Optimum esse operi faciundo corium et sincerissimum.
Quid causae est, quin virgis te vsque ad faturitatem
faciem?

Quid illas spectas? quas si attigeris, oculos eripiam tibi.
55 LA. Atquin, quia vetas, vtramque iam mecum abducam
simul.

DAE. Quid facies? LA. Volcanum adducam: is Veneris
aduorsarius.

TR. Quo illic abit? LA. heus, equis hic est? heus! DAE.
si attigeris ostium,

Iam tibi herele messis in ore fiet mergis pugneis.

LO. Nullum habemus ignem: ficis victitamus aridis.

60 DAE. Ego dabo ignem, siquidem in capite tuo conflau-
di copias.

LA. Íbo hercle aliquo quaéritatum igném. DAE. quid
tum, quum inuéneris?

LA. Ígnem magnum hic fáciam. DAE. quíne tú manum
exurás tibi?

LA. Ímmo hasce ambas híc in ara vt víuas comburam.
DAE. íd volo.

Nam hércle ego te contínuo arripiam bárba, et in
ígnem cóniciam,

65 Téque ambustulátum obiíciam mágnis auibus pábulum.
Quúm coniecturam égomet mecum fácio, haec illa est
fímia,

Quae hás hirundínés ex nido vólt eripere ingrátis,
Quód ego in fomnis sómniaui. TR. scín', quid tecum
oró, fenex?

Vt illas ferues, vím defendas, dúm ego herum adducó
meum.

70 DAE. Quaére herum, atque addúce. TR. at hic ne —
DAE. máxumo maló suo,
Si áttigerit, siue óccoceptaffit. TR. cúra. DAE. curatum
ést: abi.

TR. Húnc quoque asserua ípsum, nequo abítat. nam
promísimus

Cárnufici aut taléntum magnum, aut ístunc hodie
fístere.

ACTVS TERTIVS. SCENA QVINTA

DAEMONES. LABRAX. LORARII
PALAESTRA ET AMPELISCA

Vtrúm tu leno cúm malo lubéntius
Quiéscis, an sic sine malo, si cópia est?

L.A. Ego, quac tu loquere, flócci non fació, senex.

Meas quidém, ted invito ét Venere et summó Ioue,

5 De ará capillo iám deripiam. DAE. tänge dum.

L.A. Tangam hércle verö. DAE. ágedum ergo, accede
húc modo.

L.A. Iube dúm recedere ístos ambo illúc modo.

DAE. Immo ad te accedent. L.A. nón hercle egomet
cénseo.

DAE. Quid agés, si accedent própius? L.A. ego recéssero.

10 Verúm, senex, si te vñquam in vrbe offéndero,
Nunquam hércle quisquam mé lenonem díxerit,
Si nón te ludos péssumos dimísero.

DAE. Facito ístuc quod minitáris. sed nunc ínterim
Si illás attigeris, dábitur tibi magnúm malum.

15 L.A. Quam mágnum vero? DAE. cuántum lenoní sat est.

L.A. Minás ego ístas flócci non fació tuas.

Equidém te invito iam ámbas rapiam. DAE. tänge dum.

L.A. Tangam hércle vero. DAE. tänge, sed scin',
quómo do?

I dúm Turbalio currículo, affer húc domo

20 Duas cláuas. L.A. clauas? DAE. sed probas. properá cito.

Ego te hódie faxo récte acceptum, vt dignus es.

L.A. Eheú, scelestus gáream in naui pérdidi.

- Nunc mi oportuna hic esset, falua si foret.
 Licet saltem istas mihi appellare? DAE. non licet.
- 25 Ehem optime edepol eccum clauator aduenit!
 LA. Illud quidem edepol tinnimentum est auribus.
 DAE. Age, accipe illanc alteram clauam Sparax.
 Age, alter istinc, alter hinc assistite.
 Assistite ambo. sic! audite nunc iam:
- 30 Si hercle illic illas hodie digito tetigerit
 Inuitas, ni istunc istis inuitassitis
 Vsque adeo, donec, qua domum abeat, nesciat,
 Peristis ambo. si appellabit quempiam,
 Vos respondetote istinc istarum vicem.
- 35 Sin ipse hinc abire volet, quantum potest,
 Extemplo amplectitote crura fistibus.
 LA. Etiam me abire hinc non sinent? DAE. dixi satis.
 Et ille seruus cum hero ubi huc aduenerit,
 Qui herum arcessiuit, itote extemplo domum.
- 40 Curate haec sultis magna diligentia.
 LA. Heu hercle, nae istic sana mutantur cito!
 Hoc Herculis iam, Veneris fanum quod fuit.
 Ita duo destituit signa hic cum clavis senex.
 Non hercle, quo hinc nunc gentium aufugiam, scio:
- 45 Ita nunc mihi vtrumque saeuit, et terra et mare.
 Palaestra! LO. quid vis? LA. apage, controuersia est.
 Haec quidem Palaestra quae respondit, non mea est.
 Heus, ampelisca! LO. caue sis infortunio.
 LA. Ut potest, ignaui homines satis recte monent.
- 50 Sed vobis dico, heus, vobis num molestia est,
 Me adire ad illas propius? LO. nil nobis quidem.

L.A. Numquid molestum mihi erit? I.O. nil, si caueris.

L.A. Quid est quod caueam? I.O. hem a crasso infortunio.

L.A. Quaeso hercle, adire ut liceat. I.O. adeas, si velis.

55 L.A. Bene hercle factum: habeo vobis gratiam.

Accedam propius. I.O. illic adsta tu illico.

L.A. Edepol proueni nequiter multis modis.

Certumst hasce hodie vsque obsidione vincere.

ACTVS TERTIVS. SCENA SEXTA

PLEVSIDIPPVS. TRACHALIO. LABRAX

CHARMIDES. LORARI. PALAESTRA

ET AMPELISCA

Meamne ille amicam leno vi, violentia,

De ara deripere Veneris voluit? TR. admodum.

PL. Quin occidisti extemplo? TR. gladius non erat.

PL. Caperes aut fustem, aut lapidem. TR. quid ego,
quasi canem,

5 Hominem insectarer lapidibus? PL. nequissimum?

L.A. Nunc pol ego perii! Pleusidippus eecum adest:

Conuerret iam hic me totum cum puluisculo.

PL. Etiamne in ara tunc sedebant mulieres,

Quum ad me profectu's ire? TR. ibidem nunc sedent.

10 PL. Quis illas nunc illic seruat? TR. nescio quis senex,

Vicinus Veneris. is dedit operam optumam.

Is nunc cum seruis seruat: ego mandaueram.

PL. Duc me ad lenonem recta. vbi illic est homo?

L.A. Salue. PL. nihil salutem moror. opta ocus,

15 Rapi te obtorto collo mauis, an trahi.

Vtrum vis, opta, dum licet. L.A. neutrum volo.

- PL. Abi sane ad littus curriculo Trachalio,
Iube illos in urbem ire obuiam ad portam mihi,
Quos mecum duxi, hunc qui ad carnificem traderent.
- 20 Post huc redito, atque agitato hic custodiam.
Ego hunc scelestum rapiam iam in ius exsulem.
Age, ambula in ius. LA. quid ego deliqui? PL. rogas?
Quine arrhabonem a me accepisti ob mulierem, et
Eam hinc abduxisti? LA. non auexi. PL. cur negas?
- 25 LA. Quia pol prouexi; auerere non quiui miser.
Equidem tibi me dixeram praesto fore
Apud Veneris fanum: numquid muto? sumne ibi?
PL. In iure causam dicito: hic verbum fat est.
Sequere. LA. obsecro te, subueni, mi Charmides:
- 30 Rapior obtorto collo. CH. quis me nominat?
LA. Videm me ut rapior? CH. video, atque inspecto
lubens.
LA. Non subuenire mihi audes? CH. quis homo te rapit?
LA. Adolefcens Pleusidippus. CH. ut nactus, habe.
Bono animo meliust te in neruom correpere.
- 35 Tibi obtigit, quod plurimi exoptant sibi.
LA. Quid id est? CH. ut id quod quaerant, inueniant sibi.
LA. Sequere, obsecro, me. CH. pariter suades, qualis es.
Tu in neruom rapere: eo me obsecras ut te sequar?
Etiam retentas? LA. perii! PL. verum sit velim.
- 40 Tu mea Palaestra et Ampelisca, ibidem illico
Manete, dum huc ego redeo. LO. equidem fuadeo,
Ut ad nos abeant potius, dum recipis. PL. placet.
Bene facitis. LA. fures estis. LO. quid, furcs? PL. rape.
LA. Ora, obsecro, Palaestra. PL. sequere carnufex.

45 LA. Hospes. CH. non sum hospes: répudio hospitium
tuum.

LA. Sicine me spernis? CH. sic ago: semel bibo.

LA. Di te infelicit. CH. isti capiti dicit.

Credo alium in aliam beluam hominem vertier:
Illic in columbum, credo, leno vertitur.

50 Nam in columbari collum haud multo post erit.
In neruom ille hodie nidamenta congeret.
Veruntamen ibo, eii aduocatus ut siem,
Siqui mea opera citius addici potest.

ACTVS QVARTVS. SCENA PRIMA

DAEMONES

Benefactum, et volupe est, hodie me his mulierculis
Tetulisse auxilium: iam clientas repperi,
Atque ambas forma scitula atque aetatula.
Sed vxor scelesti me omnibus seruati modis,

5 Nequi significem quippiam mulierculis.
Sed Gripus seruos noster quid rerum gerat,
Miror, de nocte qui abiit piscatum ad mare.
Pol magi sapisset, si dormiuisset domi.

Nam nunc et operam ludos facit et retia:

10 Ut tempestas est nunc, atque ut noctu fuit.

In digitis hodie percoquam, quod ceperit:

Ita fluctuare video vehementer mare.

Sed ad prandium vxor me vocat: redeo domum.

Iam meas opplebit aures sua loquentia.

ACTVS QVARTVS. SCENA SECVNDA

G R I P V S

- Neptúno has agó gratiás meo patróno,
 Qui fális locís incolit pisculéntis,
 Quum méd ex suis pulchre ornátum expediuit
 Templis redducém, plurimá praeda onústum,
 5 Salúte horiaé, quae in marí fluctuóso
 Piscátu nouó me vberí compotúit.
 Miróque modo átque incrédibili híc
 Piscátus míhi lepide éuenít,
 Neque píscium vllam vnciam hodié pondó
 10 Cepí, nisi quód fero híc in reté.
 Nam vt dé nocte múlta impigréque exfurrexi,
 Lucrum praeposui sopóri et quiéti:
 Tempéstate saéua experíri expetúui,
 Paupértatem herí quí et meám feruitútem
 15 Tolerárem, opera haud parcús mea.
 Nímis homo nihili ést qui piger est: ními'que id ge-
 nus odi égo male.
 Vígilare decet hóminem, qui volt sua tempore conficere
 officia.
 Nón enim illum exspectáre oportet, dúm herus se ad
 suum officium fuscitet.
 Nám qui dormiunt libenter, cum malo et sine lucro
 quiescunt.
 20 Nám ego nunc mihi, qui impiger fui, réperi, vt, si ve-
 lím, piger sim.

Hóc ego, quidquid inest, reperi in mari. quidquid inest,
 graue quid inest: aurum
 Híc ego inesse reór. nec conscius ést mihi vllus homó.
 nunc haec tibi

Grípe occasio óbtigit, vti liberet ex populó praetor te.
 Núnc sic faciam, sic consilium ést: ád herum veniam
 dócte atque astu:

25 Paúxillatim póllicitabor pró capite argentum, vt sim
 liber,

Iám vbi liber ero, igitur tum domum ínstruam, agrum,
 aedés, mancipia:

Náuibu' magnis mércaturam fáciam: ad reges réx per-
 hibebor.

Póst animi causá mihi nauem fáciam, atque imitabór
 Stratonicum,

Óppidaque circúmuectabor. vbi nobilitas méa erit
 clara,

30 Óppidum magnúm communibo: éü vrbí ego Gripo ín-
 dam nomen,

Mónimentum meae fámae et factis: íbi que regnum má-
 gnum ínstituam.

Mágnas res hic ágito in mente ínstrúere. vidulum hunc
 nunc condam.

Séd híc rex cüm acetó pranfurust ét sale, sine bonó
 pulmento.

ACTVS QVARTVS. SCENA SECVNDA

TRACHALIO. GRIPVS

Heús mane! GR. quid maneám? TR. dum hanc tibi,
quam tráhi, rudentem cómplico.

GR. Mítte modo. TR. at pol ego ádiuuabo. nám bonis
bene quód fit, haud perit.

GR. Turbída tempestas héri fuit:

Nihil hábeo, adolescens, píscium:

5 Ne tú mihi esse póstules.

Non vídēs referre me víuidum

Retém, sine squamosó pecu?

TR. Non édepol písces éxpeto,

Quam tuí sermónis sum índigens.

10 GR. Iam, quisquis es, me odio énicas.

TR. Non finam ego abire hinc té. mane.

GR. Caue sis malo. quid tú, malum, nam mé retractas?

TR. áudi.

GR. Non áudio. TR. at pol áudies. GR. quin póst loquere,
quíd vis.

TR. Ehó, modo, modo est pretíum operae, quod tibi
ego volo narráre.

15 GR. Elóquere, quid id est. TR. víde, prope hic num
quísquam conféquitur.

Écquid est quód mea id réferat? TR. scílicet.

Séd boni cónsili

Écquid in té mihi est? GR. Quíd negoti ést, modo

Díce. TR. dicám, tace, sí fidem dás modo,

20 Té mihi nón fore infídum.

GR. Dó fidem, fidus escó tibi, quisquis es.

TR. Furtum égo vidí qui faciebát:

Norám dominum íd cui fiebát.

Po st ad furem égomet déuenió,

25 Feroque eí condítionem hóc pacto:

Ego ístúe furtúm scio cú factum ést.

Nunc míhi si vís dare dímidíum,

Indícium dómino nón faciám.

Is míhi nil étiam réspondít.

30 Quid ín de aéquum est dári míhi? dímidíum

Volo dícas. GR. immó hercle étiam amplíus.

Nam nísi dat, dómino dícundúm

Censéo. TR. tuo cónsilió faciám.

Nunc áduortés animúm: namque hóc

35 Attínet omne ad te. GR. quíd factúmst?

TR. Vidulum ístum, cuius ille est noui ego hóminem iam-
pridem. GR. quíd est?

TR. Ét quo pacto périit. GR. at ego, quó pacto inuen-
túst, scio:

Ét qui inuenit, hóminem noui: et dóminus qui
nunc ést, scio.

Níhilo pol plurís tua hoc, quam quánti illud refért
mea.

40 Égo illum noui, cúius nunc est: tú illum, cuius ante-
hác fuit.

Húnc homo feret a mé nemo: ne tú te speres ócius.

TR. Nón ferat, si dóminus veniat? dóminus huic, ne
frústra fis,

Nísi ego, nemo nátust, hunc qui cépi in venatú meo.

- TR. Ítane vero? GR. ecquem esse dices in mari piscem
meum?
- 45 Quos quum capio, siquidem cepi, mei sunt: habeo pro
meis.
Nec manu asseruntur, neque illinc partem quisquam
postulat.
In foro palam omnes vendo pro meis venalibus.
Mare quidem commune certum est omnibus esse. TR.
assentio:
Qui minus hunc communem quaeso mihi esse oportet
vidulum?
- 50 In mari inuentum est: communis. GR. nae impudenter
impudens!
Nam si istucius sit, quod memoras, piscatores perierint.
Quippe quum extemplo in macellum pisces prolati sient,
Nemo emat: suam quisque partem piscium poscat sibi:
Dicat in mari communi captos. TR. quid ais impudens?
- 55 Ausus etiam comparare vidulum cum piscibus?
Eadem tandem res videtur? GR. in manu non est mea:
Vbi demisi retem atque hamum, quidquid haesit, extraho.
Meum quod rete atque hami nati sunt, meum potissimum est.
TR. Immo hercle haud est, siquidem quod vas excepisti.
GR. philosophe!
- 60 TR. Sed tu eni unquam piscatorem vidisti, venefice,
Vidulum piscem cepisse? aut protulisse vllum in forum?
Non enim tu hic quidem occupabis omnis quaestus
quos voles.
Et viotorem et piscatorem te esse, impure, postulas.

Vél te mihi monstráre oportet, píscis qui sit vídulus:

65 Vél, quod in marí non natum est, néque habet squamas,
né feras.

GR. Quid, tu nunquam audísti esse antehac vídulum pi-
scém? TR. scelus,

Núllus est. GR. immo ést profecto: ego, qui sum pesca-
tór, scio.

Vérum raro cápitur: nullus mínu' saepe ad terrám venit.

TR. Níl agis: dare vérba speras mihi te posse, fúrcifer.

70 Quó colore est? GR. hóc colore cápuntur pauxilluli.

Súnt alii puníceo corio, mágni item atque atrí. TR. scio.

Tu hércle te, opinor, ín vídulum píscém conuortes,
nísi caues:

Fiet tibi puníceum corium, póstea atrum dénuo.

GR. Quód scelus hodie hóc inueni! TR. vérba facimus:
ít dies.

75 Vide fis, quoius árbitratu nós vis facere? GR. víduli
árbitratu. TR. ita? GR. ita. TR. enímuero stúltus es,

GR. salué Thales!

TR. Tu ístunc hodie nón feres, nísi dás sequestrum aut
árbitrum,

Quóius haec res árbitratu fiat. GR. quae so fanus es?

TR. Elleborofus sum. GR. égo cerritus: hunc non
amittám tamen.

80 TR. Vérbum adde etiam vnúm, iam in cerebro cóla-
phos abstrudám tuo.

Égo iam hic te, ítidem quási peniculus nóuos exurgerí
folet,

Ni hunc amittis, éxurgebo quídquid humorís tibi sit.

GR. Tánge: affligam ad térram te itidem, vt piscem
soleo pólypum.

Vís pugnare? TR. quíd opust? quin tu pótius praedam
díuide.

85 GR. Hínctu, nisi malúm, frunisci níl potes, ne póstules.
Ábeo ego hinc. TR. at ego hinc offlectam náuem, ne
quo abeás: mane.

GR. Sí tu proreta ísti naui es, égo gubernatór ei ero.
Mítterudentém scelesté. TR. míttam: omítte vídulum.

GR. Núnquam hercle hinc hodié ramenta fies fortu-
nátior.

90 TR. Nón probare pérnegando míhi potes, nisi párs datur,
Aút ad arbitrúm reditur, aút sequestro pónitur.

GR. Quémne ego excepi ín mari? TR. ast ego ínspéctauí
e líttore.

GR. Méa opera, labóre, et rete, et hória. TR. numquí
minus,

Sí veniat nunc dóminus quoius est, égo qui ínspéctauí
procul

95 Te húnct habere, fúr sum quam tu? GR. níhilo. TR.
mane mástigia.

Quo árgumento sócius non sum, et fúr sum? fac dúm
ex té sciam.

GR. Néscio. neque ego ístas vostras léges vrbánas scio,
Nísi quia hunc meum ésse dico. TR. et égo itidem esse
aíó meum.

GR. Máne iam: reperi rém, quo pacto nec fur, nec so-
ciús fies.

100 TR. Quó pacto? GR. sine me hinc abire: tú abi tacitus
tuám víam.

Néc tu me quoiquam indicassis, néque ego tibi quidquam dabo.

Tú taceto: ego mússitabo. hoc óptimum atque aequifsumum est.

TR. Écquid conditiónis audes férre? GR. iam dudúm fero:

V't abeas, rudéntem amittas, míhi molestus né fies.

105 TR. Máne, dum refero cónditionem. GR. te óbsacro hērcle, aufer té modo.

TR. Écquem in his locís nouisti? GR. opórtet vicinós meos.

TR. V'bi tu hic habitas? GR. pórró illic longe vsque in campis vltimis.

TR. Vín', qui in hac villa hábitat, eius árbitratu fieri? GR. Paúllisper remitte restem, dúm concedo et cónsulo.

110 TR. Fíat. GR. euge, sálua res est: praéda haec perpetua ést mea.

Ad meum herum arbitrúm vocat me hic íntra praesepís meas.

Núnquam hercle hodie abiúdicabit áb suo trióbulum. Nae íste haud scit, quam cónditionem tétulit: ibo ad árbitrum.

TR. Quid igitur? GR. quanquam ístuc esse iús meum certó scio,

115 Fíat ístuc pótius quam nunc púgnem tecum. TR. núnc places.

GR. Quánquam ad ignotum árbitrum me appéllis, si adhibebít fidem,

étsi ignotust, nótuft: si non, nótuft ignotíffumust.

ACTVS QVARTVS. SCENA QVARTA

DAEMONES. PALAESTRA ET AMPELISCA
GRIPVS. TRACHALIO

SÉrio edepol, quánquam vobis vólo quae vultis múlieres,
Métuo, propter vós ne vxor mea méd extrudat aédibus:
Quaé me pellicés adduxe dícet ante oculós suos.
Vós confugite in áram potius, quám ego. MV. miserae
périimus.

5 DAE. Égo vos saluas sístam: ne timéte. sed quid vós foras
Prósequimini? quóniam ego assum, fáciat nemo in-
iúriam.

Íte, inquam, domum ámbo nunc íam éx praesidio praé-
fides.

GR. Ó here salue. DAE. fáue Gripe. quíd fit? TR. tuus-
ne hic séruos est?

GR. Haúid pudet. TR. nihil ágo tecum. GR. ergo abi hñc.
TR. quaéso respondé senex.

10 Túus hic seruost? DAE. méus est. TR. hem istuc óptu-
me, quandó tuust.

Íterum te salúto. DAE. et ego te. túne es, qui haud
multó prius

Ábiisti hinc herum árcessitum? TR. ego ís sum. DAE.
quid nunc vís tibi?

TR. Némpe hic tuus est? DAE. méus est. TR. istuc óptu-
me, quandó tuust.

DAE. Quíd negotist? TR. vír scelestus illic est. DAE.
quid fecít tibi

15 Vir scelestus? TR. hómíni ego ísti tálos súffringí volo.

DAE. Quid est, qua de re litigatis nunc inter vos? TR.
eloquar.

GR. Immo ego eloquar. TR. ego, opinor: rem facesso.
GR. si quidem

Sis pudicus, hinc facessas. DAE. Grípe, animum aduerte,
ac tace.

GR. Vtin' istic priu' dicat? DAE. audi. loquere tu. GR.
alienon' prius,

20 Quam tuo dabis orationem? TR. en, vt nequitur com-
primi!

Ita vt occoepi dicere, illum quem tu e fano Venerio
Dudum lenonem extruxisti, hic eius vidulum eccillum
habet.

GR. Non habeo. TR. negas, quod oculis video? GR. at
ne videas velim.

Habeo, non habeo: quid tu me curas, quid rerum
geram?

25 TR. Quomodo habeas, illud refert, iurene anne iniuria.
GR. Ni istum cepi, nulla caussa est quin me condones
cruci.

Si in mari reti apprehendi, qui tuum potius, quam
meum?

TR. Verba dat. hoc modo res gesta est, vt ego dico.
GR. quid tu ais?

TR. Quoad primarius vir dicat, comprime hunc sis, si
tuus.

30 GR. Quid, tu idem mihi vis fieri, quod herus consuevit
tibi?

Si ille te comprimere solitus, hic noster nos non solet.

DAE. Verbo illo modo ille vicit. quid nunc tu vis, dic mihi.

TR. Equidem neque ego partem posco mihi istinc de isto vidulo,

Neque meum hodie esse vnquam dixi. sed istuc inest cistellula

35 Huius mulieris, quam dudum dixi fuisse liberam.

DAE. Nemp tu hanc dicis, quam esse aibas dudum popularém meam?

TR. Admodum: et ea quae olim parua gestavit crepundia,

istuc in ista cistula insunt, quae istuc inest in vidulo.

Hoc neque isti vsus est, et illi miserae suppetias feret,

40 Si id dederit, quâ suos parentes quaerat. DAE. faciam vt det: tace.

GR. Nihil hercle ego sum isti daturus. TR. nil peto, nisi cistulam

Et crepundia. GR. quid, ea si sunt aurea? TR. quid istuc tua?

Aurum auro expendetur, argentum argento exaequabitur.

GR. Fac sis aurum vt videam: post ego faciam vt videas cistulam.

45 DAE. Caue malo, ac tace tu: tu perge, vtoccoepisti, dicere.

TR. Vnum te obsecro, vt ted huius commiserescat mulieris,

Si quidem hic eius est lenonis vidulus, quod suspicor.

Hic nisi de opinione certum nil dico tibi.

GR. Vidēn, scelestus vt aúcupatur? TR. sine me, vt
occoepí, loqui.

50 Sí scelesti illius est hic, quóius dico, vidulus,
Haé poterunt nouisse: ostendere hís iube. GR. ain' ?
osténdere?

DAE. Haúd iniquum dicit, Gripe, vt óstendatur vidulus.

GR. Immo hercle insigníte inique. DAE. quí dum? GR.
quia, si osténdero,

Cóntinuo hunc nouisse dicent scilicet. TR. scelerúm
caput,

55 Vt tute es, item ómnis censés ésse? periurí caput!

GR. Ómnia istaec ego fáçile patior, dúm hic hinc a me
féntiat.

TR. Atqui nunc abs té stat: verum hinc cibít testimónium.

DAE. Gripe aduerte animúm. tu paucis éxpedi, quid
póstulas.

TR. Dixi equidem: sed si parum intelléxti, dicam dénuo.

60 Hásce ambas, vt dúdum dixi, ita ésse oportet líberas.

Haéc Athenis párua virgo fúit surrepta. GR. díç mihi,

Quíd ista ad vidulúm pertineant, séruae sint an líberae.

TR. Ómnia iterum vís memorari, scéelus, vt defíat dies.

DAE. Abstine maledíctis, et mihi quód rogauí dílu.

65 TR. Cístellam istic inéssé oportet caúdeam in isto vidulo,

Vbi sunt signa, quí parentes nóscere haec possit suos,

Quíbu'cum parua Athénis periit, sicuti dixí prius.

GR. Iúppiter te díque perdant! quíd ais vir venéficæ?

Quíd, istae mutae sún, quae pro se fábulari nón queant?

70 TR. Eó tacent, quia tácita mulier sémper quam loquéns

bonast.

GR. Túm pol tu pro orátione néc vir nec muliér mihi es.

TR. Quí dum? GR. quia enim néque loquens es néque tacens vnquám bonus.

Quaéso, en vnquam hodié licebit míhi loqui? DAE. si praéterhac

Vnum verbum fáxis hodie, egó tibi comminuám caput.

75 TR. Vt id occepi dicere, senex, eám te quaeso cistulam

Vt iubeas hunc réddere illis: ób eam siquid póstulat Sibi mercedis, dábitur: aliud quídquid ibi est, habeát sibi.

GR. Núnc demum istuc dícis, quoniam iús meum esse intéllegis.

Dúdum dimidiám petebas pártém. TR. immo etiam núnc peto.

80 GR. Vídi petere mílüm, etiam quúm nihil auferrét tamen.

DAE. Nón ego te comprimere possum sine malo?

GR. si istíc tacet,

Égo tacebo: si iste loquitur, sine me meam partém loqui.

DAE. Cédo modo mihi vídulum istum Grípe. GR. concredám tibi.

At si istorum nil sit, vt mihi réddas. DAE. reddetúr. GR. tene.

85 DAE. Aúdi nunc iam Palaestra atque Ámpelíscá hoc quód loquor.

Éstne hic vidulus, vbi cistellam túam inesse aiebás?

PA. is est.

GR. Périi miser ego hércle! vt priu'quam pláne adspexit, illico

Éum esse dixit! PA. faciam ego hanc rem planam ex
procliuú tibi.

Cistellam istic inesse oportet caudeam in isto vidulo.

- 90 Ibi ego dicam quidquid inerit nominatim: tú mihi
Nullus ostenderis. si falsa dicam, frustra dixeró.
Vós tamen istaec, quidquid istic inerit, vobis habébitis.
Séd si vera erúnt, tum te obsecro, vt mihi reddantúr.

DAE. placet.

Iús merum oras, meó quidem animo. GR. at meó her-
cle iniuriám meram.

- 95 Quid si ista aut superstítiosa, aut áriola est, atque ómnia
Quidquid insit véra dicet? áne habebit áriola?

DAE. Nón refert: nisi véra dicet, néquidquam ariolábitur.

Sólue vidulum érgo, vt quid sit vérum, quam primúm
sciam.

GR. Hóc habet: solútust. perii ah! vídeo cistellam.

DAE. haécine est?

- 100 PA. Ístaec est. o meí parentes, híc vos conclusós gero!

Húc opesque spésque vostrúm cógnoskendúm cóndidi.

GR. Túnc tibi hercle deós iratos esse oportet, quisquis es,

Quaé parentes in tam angustum tuós locum compégeris.

DAE. Grípe, accede huc, túa res agitur: tú puella istinc

procul

- 105 Dícito, quid insit, et qua facie: memorato ómnia.

Si hercle tantillúm peccáffis, quód posterius póstules

Te ad verum conuérte, nugae múlter magnas égeris.

GR. Iús bonum oras. TR. édepol haud ted órat: nam tu

iniúriu's.

- DAE. Lóquere nunc íám puella. Grípe animum ad-
vortè, ac tace.
- 110 PA. Sùnt crepundia. DAE. écca video. GR. périi in pri-
mo praélio.
- Máne, ne ostenderís. DAE. qua facie sùnt? responde
ex órdine.
- PA. Énsiculust auréolus primum lítteratus. DAE. díce
dum,
In eo ensiculo lítterarum quíd sit. PA. mei nomén patris.
Póst altrinfecus ést securicula áncipes, item aúrea,
- 115 Lítterata: ibi mátris nomen ín securiculást. DAE. mane.
Díc, in ensiculó quid nomen ést paternum. PA. Daé-
mones.
- DAE. Di ímmortales, vbi loci sunt spés meae? GR. im-
mo edepól meae?
- DAE. Péрге, te obsecró, continuo. GR. plácide: aut ite
ín malám crucem.
- DAE. Lóquere matris nómen hic quid ín securiculá fiet.
- 120 PA. Daédalis. DAE. di mé seruatum cúpiunt. GR. at
me pérditum.
- DAE. Fíliam meam esse hánc oportet, Grípe. GR. sit
per mé quidem.
- Quí te di omnes pérdant, qui me hodie óculis vidísti tuis,
Méque adeo sceléstum, qui non circumspexi cénties
Príu', me nequis ínspectaret, quám rete extraxi ex aqua.
- 125 PA. Póst sicilicula argénteá, et duaé connexae máni-
culae, et
- Súcula. GR. quin tu diérecta i cum súcula et cum pórculis.
- PA. Ét bulla aurea, quám pater dedit mihi natalí die.

DAE. Ea est profecto. contineri, quin complectar, non
queo.

Filia mea salve: ego is sum, qui te produxi, pater.

130 Ego sum Daemonés, et mater tua ecce hic intus Daédalis.

PA. Salve mi pater insperate. DAE. salve. vt te amplector
libens!

4 TR. Volupe est, quum istuc ex pietate vestra vobis contigit.

DAE. Cape dum: hunc, si potes, fer intro vidulum, age
Trachálio.

TR. Ecce Gripi scelera. quum istaec res male euenit tibi,

135 Gripe, gratulor. DAE. age eamus, mea gnata, ad ma-
trém tuam,

Quae ex te poterit argumentis hanc rem magis exqui-
rere:

Quae te magis tractauit, magis que signa pernouit tua.

TR. Introeamus omnes, quando operam omnes promi-
scam damus.

PA. Sequere me Ampelísca. AM. quum te di amant, vo-
luptati est mihi.

ACTVS QVARTVS. SCENA QVINTA

G R I P V S

Súmne ego sceléctus, qui illunc hodie excepi vidulum?

Aút quum excepi, qui non alicubi in solo abstrusi loco?

Crédebam edepol túrbulentam praédam euenturám
mihi,

Quía illa mihi tam túrbulenta témpestate euénerat.

5 Crédo ego edepol illic inesse auri atque argenti largiter.

Quid meliust, quam vt hinc intro abeam, et me suspen-
dam clanculum,
Sáltém tantispér, dum abscedat haéc a me aegrimónia.

ACTVS QVARTVS. SCENA SEXTA

DAEMONES

Pro di immortales, quis me est fortunátior,
Qui ex improuiso filiam inueni meam?
Satín' si quoui homini dí esse benefactum volunt,
Aliquo illud pacto obtingit optatúm piis!
5 Ego hódie, qui neque spéraui, neque crédidi,
Is improuiso filiam inueni tamen:
Et eám de genere súmmo adolescenti dabo
Ingénuo, Atheniénsi, et cognató meo.
Ego eum ádeo arcessi huc ad me quam primúm volo,
10 Iussique exire huc éius seruom, vt ad forum
Irét. nondum egressum esse eum, id mirór tamen.
Accédam opinor ad fores. quid cónspicor?
Vxór complexa cóllo retinet filiam.
Nimí' paéne inepta atque ódiosa eius amátio est.
15 Aliquando osculádo meliust, vxór, pausam fieri.
Atque adorna, vt rém diuinam fáciam, quum intro ad-
uénero,
Láríbu' familiáribus, quum auxérunt nostram fámiham.
Súnt domi agni et pórci sacres. féd quid istum remo-
rámini
Múlieres Trachálionem? atque óptume eccum exit
foras.

ACTVS QVARTVS. SCENA SEPTIMA

TRACHALIO. DAEMONES

V'bi vbi erit, iam inuélígabo, et mécum ad te ad-
ducám simul

Pleúsidippum. DAE. elóquere vt haec res óbtigít de fília:
Eúm rogita, vt relínquat alias rés, et huc veniát. TR. licet.

DAE. Dícito datúrum me illi filiam vxorém. TR. licet.

5 PAE. Et patrem eius me nóuisse: et mihi ésse cogna-
túm. TR. licet.

DAE. Séd propera. TR. licét. DAE. iam hic fac sit, coéna
vt curetúr. TR. licet.

DAE. Ómniane licét? TR. licet. sed scín' quid est, quod
té volo?

Quód promíffisti vt memineris, hódie vt liber sím.
DAE. licet.

TR. Fác vt exores Pleúsidippum, vt me émittat manú.
DAE. licet.

10 TR. Et tua facito filia oret: fácte exorabít. DAE. licet.

TR. Átque vt mi Ampelísca nubat, vbi ego sim libér.
DAE. licet.

TR. Átque vt gratum mí beneficium fáctis experiár.
DAE. licet.

TR. Ómniane licét? DAE. licet. tibi rúrsum refero grá-
tiam.

Séd propera ire in vrbem actutum, et récipe te huc
rursúm. TR. licet.

15 Iam híc ero. tu intéribi adorna céterum quod opúst.
DAE. licet.

Hércules istum infelicet cum sua licentia:
ita meas repléuit aures. quidquid memorabám, licet.

ACTVS QVARTVS. SCENA OCTAVA

GRIPVS. DAEMONES

Quam móx licet te compellare Daémones?

DAE. Quid ést negoti, Grípe? GR. de illo vídulo,

Si sapias, sapias: hábeas, quod di dánt boni.

DAE. Aequóm videtur tibi, vt ego, alienúm quod est,

5 Meum ésse dicam? GR. quódne ego inueni ín mari?

DAE. Tanto ílli melius óbtigit, qui pérdidit.

Tuum ésse nihilo mágis oportet vídulum.

GR. Istó tu es pauper, quúm nimis sancté piú's.

DVE. O Grípe Gripe, in aétate hominum plúrimae

10 Fiúnt transfennaë, vbi decipiuntúr dolis.

Atque édepol in eas plérumque esca impónitur:

Quam síquis auidus páscit escam auáriter,

Decípitur in transfénna auaritiá sua.

Ille qui consulte, dócte, atque astuté cauet,

15 Diútine vti béne licet partúm bene.

Mihi istaéc videtur praéda praedatum írier,

Vt cum maiore dóte abeat, quam aduénit.

Egone vt, quod ad me allátum ésse alienúm sciam,

Celém? minime istuc fáciat noster Daémones.

20 Sempér cauere hoc sapiétes aequíssimum est,

Ne cóncií sint ípsi malefici suis.

Nihil ego, mihi quum lúsi, moror vllúm lucrum.

GR. Spectáui ego pridem cómicos ad istúm modum

- Sapiénter dicta dícere, atque iis plaúdiér,
 25 Quum illós sapiéntis móres monstribánt poplo.
 Sed quum inde suam quisque íbant diuersi domum,
 Nullús erat illo pácto, vt illi iússérant.
 DAE. Abi íntro, ne moléstus, linguae témpera.
 Ego tibi daturus níl sum, ne tu frústra sis.
 30 GR. At égo deos quaeso, vt quídquid in illo vídulost,
 Si aurúm, si argentum est, ómne id vt fiat cinis.
 DAE. Illúc est, quod nos néquam seruis vítimur.
 Nam illíc cum seruo síquo congressús foret,
 Et ípsum sese et illum furti adstríngeret.
 35 Dum praédam habere sé censeret, ínterim
 Praeda ípfus esset: praeda praedam dúceret.
 Nunc hinc intro ibo, et sácrificabo: póstiti
 Iubébo nobis coénam continuó coqui.

ACTVS QVINTVS. SCENA PRIMA

PLEVSIDIPPVS. TRACHALIO

I'terum mihi istaec ómnia itera, mi ánime, mi Trachálio,
 Mí liberte, mí patrone pótius, immo mí pater.

Répperit patrém Palaestra suum átque matrem? TR.
 répperit.

PL. Et popularis ést? TR. opinor. PL. Et núptura est mi-
 hi? TR. súspicor.

5 PL. Cénseñ' hodie déspondebit eám mihi, quaeso? TR.
 cénseo.

PL. Quíd, patri etiam grátulabor, quum íllam inuenit?
 TR. cénseo.

PL. Quid, matri eius? TR. cénseo. PL. quid érgo cén-
ses? TR. quód rogas,

Cénseo. PL. dic érgo quanti cénses? TR. egone? cén-
seo. PL. At

Súme quidem, ne cénfionem sémper faciás. TR. cénseo.

10 PL. Quid, si curram? TR. cénseo. PL. an sic pótius pla-
cide? TR. cénseo.

PL. Étiámne eam adueniéns salutem? TR. cénseo. PL.
etiámne éius patrem?

TR. Cénseo. PL. post éius matrem? TR. cénseo. PL.
quid póstea?

Étiámne adueniéns complectar éius patrem? TR. non
cénseo.

PL. Quid, matrem? TR. non cénseo. PL. quid, eámpse
illam? TR. non cénseo.

15 PL. Périi, dilectúm dimisit. núnc non cénset, quúm volo.

TR. Sánus non es: séquere. PL. duc me mí patrone
quó libet.

ACTVS QVINTVS. SCENA SECVNDA

L A B R A X

Q uis me ést mortalis míserior qui víuat alter hódie,
Quem ad récuperatores modo damnáuit Pleusídippus?
Abiúdicata a mé modo est Palaéstra. perditús sum.
Nam lenones ex gáudio credo ésse procreátos:

5 Ita ómnés mortales, siquid est malí lenoni, gáudent.
Nunc álteram illam, quae mea est, visám húc in Veneris
fánum.

Saltem vt eam abducam, dé bonis quod réstat reliquiárum.

ACTVS QVINTVS. SCENA TERTIA

GRIPVS. LABRAX

Nunquam édepol hodie ad vésperam Gripum ínspicietis víuum,

Nisi vídulus mihi rédditur. LA. perii! quum mentiónem Fieri aúdio vsquam víduli, quasi pálo pectus tándor.

GR. Illic scelestus líber est: ego qui ín mari prehéndi

5 Rete átque excepi vídulum, dare eí negatis quídquam.

LA. Pro di ímmortales suó mihi hic fermóne arrexít aúreis.

GR. Cubitum hércle longis lítteris signábo iam vsque-
quáque,

Siquís perdiderit vídulum cum auro átque argento
múlto,

Ad Grípum vt veniat. nón feretis ístum, vt postulátis.

10 LA. Meum hércle illic homo vídulum scit quí habet,
vt ego opínor.

Adeúndus mi illic ést homo: di, quaéso, subueníte.

GR. Quid me íntro reuocas? hóc volo hic ante óstium
extergére.

Nam hoc quídém pol e robígine est, et nón e ferro
factum:

Ita quánto magis extérgeo, rutilum átque tenuiús fit.

15 Numquíd natum est hoc vére verum? ita in mánibus
confenécit.

LA. Adolécens salue. GR. dí te ament cum irráso ca-
pite. LA. quíd fit?

GR. Verum éxtergetur. LA. vt vales? GR. quid tú, num
medicus quaéso es?

LA. Immo édepol vna littera plus sũm quam medicus.

GR. tũm tu

Mendicus es? LA. tetigisti acu. GR. videtur digna forma.

20 Sed quid tibi est? LA. hac proxima nocte in mari elauĩ:
nam

Confracta est nauis, pẽrdidi quidquid erat miser ibi
õmne.

GR. Quid pẽrdidisti? LA. vidulum cum auro atque
argento multo.

GR. Ecquid meministi in vidulo, qui pẽriit, quid ibi
infuerit?

LA. Quid refert, qui pẽriit? GR. tamen si, nõn hoc fa-
bulẽmur?

25 Quid, si ego sciam qui inuenerit? volo ex te scire signa.

LA. Octingenti in marsupio nummi aurei infuerunt.

Praeterea centum Philippiæ minae in pasceolo seorsus.

GR. Magna hẽrcle praeda est: largiter mercẽdis indipsar.

Di me respiciunt et homines. bene ego hinc praeda-
tus ibo.

30 Profecto est huius vidulus. perge alia tu expedire.

LA. Talentum argenti commodum magnum inerat in
crumina.

Praeterea sinus, epichysis, cantharu', gaulus, cyathusque.

GR. Papaẽ! diuitias tu quidẽm habuisti luculentas.

LA. Miserum istuc verbum et pessimum est, habuisse, et
nihil habere.

35 GR. Quid dare velis, qui istaẽc tibi inuestiget indicetque?

Eloque prope celeriter. LA. nummos trecentos.

GR. tricas.

E

- LA. Quadrigéntos. GR. tramas pútridas. LA. quingé-
 tos. GR. cassam glándem,
 LA. Sexcéntos. GR. curculiúnculos minútos fabuláre.
 LA. Dabo séptingentos. GR. ós calet tibi: núnc id fri-
 gefáctas.
 40 LA. Millé dabo nummos. GR. sómniás. LA. nihil áddo:
 abi. GR. igitur aúdi:
 Si hercle ábiero hinc, hic nóñ ero. LA. vin' céntum
 et mille? GR. dórmis.
 LA. Elóquere, quantum pósfules. GR. quo níhil inui-
 tus áddas,
 Taléntum magnum: nóñ potest trióbolum hinc abéffe.
 Proin tú vel aias vél neges. LA. quid ístic? necessum
 est, vídeo:
 45 Dabitúr talentum. GR. accéde dum huc. Venus haéc
 volo arrogét te.
 LA. Quod tibi libet, id mihi ímpera. GR. tange áram hanc
 Veneris. LA. tángo.
 GR. Per Vénerem hanc iurandum ést tibi. LA. quid iú-
 rem? GR. quod iubébo.
 LA. Praei vérbisquid vis. quód domi est, nunquam vlli
 supplicábo.
 GR. Tene áram hanc. LA. teneo. GR. déiera, te mi ár-
 gentum datúrurum
 50 Eódem illo die, vídulí vbi sis potitus. LA. fiat.
 GR. LA. Venu' Cýrenensis téstem te testór mihi,
 Si vídulum illum, quém ego in naui pérddidi,
 Cum auro átque argento fáluom inuestigávero,
 Isque ín potestatém meam peruénerit:

- 55 GR. Tūm ego huic Gripo dico, ínquito, et me tángito.
 LA. Tūm ego huic, huic Gripo díco, Venus, vt tu aúdias.
 GR. LA. Taléntum argenti mágnum continuoú dabo.
 GR. Si fráúdaffis, dicíto, vti te in quaeftú tuo
 Venus éradicet, cápút atque aetatém tuam.
- 60 Tecum hóc habeto támen, vbi iuráueris.
 LA. Et illúm ego aduorsum síquid peccaffó, Venus,
 Venerór te, vt omnes míferi lenonés fient.
 GR. Tamén fiet, etfi tú fidem feruáueris.
 Tu hic ópperire, iam égo faxo exhibít fenex:
- 65 Eum tú continuo vídulum repóscito.
 LA. Si máxume mi illúm reddiderit vídulum,
 Non illi ego hodie débeo trióbolum.
 Meus árbítratust, língua quod iurét mea.
 Séd cónticefcam. eecum éxit, et ducít fenem.

ACTVS QVINTVS. SCENA QVARTA

GRIPVS. DAEMONES. LABRAX

Séquere hac: vbi ístic léno est? heus tú! hém tibi,
 híc habet vídulum.

DAE. Hábeo, et fateor ésse apud me: et, si tuus est,
 habeás tibi.

Ómnia, vt quidque ínfuere, ita sálua sístentúr tibi.

Téně, si tuus est. LA. di ímmortales! méus est. salue
 vídúle.

5 DAE. Túun' est? LA. rogitas? síquidem hercle Iouis
 fúnerit, meus ést tamen.

DAE. Ómnia ínsunt sálua: vna ístinc cístella excepta
 ést modo

Cúm crepundiís, quibucum hodie filiam inuení meam.

LA. Quám? DAE. tua quae fuit Palaestra: ea filia inuenta est mea.

LA. Béné mehercle factumst: quum istaec res tibi ex sententia

10 Púlchre euenit, gaúdeo. DAE. istuc nón facile credó tibi.

LA. Immo hercle, vt sciás gaudere mé, mihi trióbolum

Ob eam ne duís: condono té. DAE. benigne edepól facis.

LA. Immo tu quidem hercle vero. GR. heus, iamne tú habes vidulum?

LA. Hábeo. GR. propera. LA. quid properabo? GR. redere argentum mihi.

15 LA. Néque edepol tibi dó, neque quidquam debeo. GR. quae haec factio est?

Nón debes? LA. non hercle vero. GR. nón tu iuratus mihi es?

LA. Iuratus sum: et núnc iurabo, siquid volúptati est mihi.

Iúsiurandum rei seruandae, nón perdendae, conditum est.

GR. Cédo sis mihi talentum magnum argéti, periurissime.

20 DAE. Grípe, quod tu istum talentum pócis? GR. iuratus mihi

Dare. LA. libet iurare. tun' meo pón tifex periúrio es?

DAE. Quá pro re argentum promist híc tibi? GR. si istum vidulum

In potestatem eius redegissém, iuratus est dare

Míhi talentum mágnum argéti. LA. cédo quicum habeam iúdicem,

25 Ní dolo malo ín stipulatus sis, niue etiam hauddám siem
 Quínque et viginti ánnos natus. GR. hábē cūm hoc.
 L.A. alióft opus.

DAE. Iám ab isto auferre haúd sinam, nisi ístum con-
 demnáuero.

Prómifistín' huíc argentum? L.A. fáteor. DAE. quod
 feruó meo

Prómifisti, méum esse oportet. né tu leno póstules

30 Te híc fide lenónia vtí: nón potes. GR. iam té ratu's
 Nátum hominem quem defraudares. dándum huc ar-
 gentum ést probum.

Íd ego continuo huíc dabo, adeo mé vt híc emittát
 manu.

DAE. Quándo ergo benignus erga té fui, atque operá mea
 Haéc tibi sunt feruáta: (GR. immo hercle meá, ne tu
 dicas tuá.

35 DAE. Sí sapiés, tacébis:) tum te míhi benigne itidem
 áddecet

Béne merenti béne referre grátiam. L.A. nēpe pró tuo
 Iúre oras. DAE. mirúm quin tuum ius meó periculó
 éxpetam.

GR. Sáluos sum! lenó labascit: libertas porténditur.

DAE. Vidulum ístic ille inuenit: illud mancipiúm
 meum est.

40 Égo tibi hunc porró feruauí cūm magna pecúnia.

L.A. Grátiam habeo, et dé talento nūlla caussat quin
 feras,

Quód ísti sum iurátus. GR. heus tu, míhi dato ergo, sí
 sapiés.

- DAE. TÁCEN', an non? GR. tu meám rem fimulas ágere;
tibi nunc cómmodas.
Nón hercle istoc me ínterueres, si áliam praedam pér-
didi.
- 45 DAE. Vápulabis, vérbum si addes vnum istuc. GR. vel
hércle énica.
Nón tacebo vnquam álio pacto, nísi talento cómpri-
mor.
LA. Tíbi operam hic quidém dát: taceto. DAE. cónce-
de huc lenó. LA. licet.
GR. Pálam age, nolo múrmur vllum néque fufur-
rum
fieri.
- DAE. Díc mihi, quanti illam émissi tuam álteram mu-
liérculam
- 50 Ámpeliscam? LA. mílle nummos dénúmeravi. DAE.
vín' tibi
Cónditionem lúculentam férre me? LA. sané volo.
DAE. Díuiduom taléntum faciam. LA. béne facis. DAE.
pro illa áltera,
Liberta vt fit, dímidium tibi fúme, dímidium huíc cedo.
LA. Máxime. DAE. pro illó dímidio Grípum ego emit-
tám manu,
- 55 Quém propter tu vídulum, et ego nátam inueni. LA.
béne facis:
Grátiam habeo mágnam. GR. quam mox mi árgentum
ergo rédditur?
DAE. Rés soluta est, Grípe. ego habeo. GR. tu hércle:
at ego me máuolo.
DAE. Níhil hercle hic tibi, né tu speres. iúrisiurandí
volo

Grátiam faciás. *ca.* perii hercle! nísi me suspendo,
occidi.

60 Núnquam hercle iterum défraudabis mé quidem post
húnc diem.

DAE. Híc hodie coenáto leno. *LA.* fiat: conditió
placet.

DAE. Séquimini intro. spéctatores, vós quoque ad coe-
nám vocem,

Ní daturus nil sim, neque sit quídquam polluctí domi,
Níue adeo vocátos credam vós esse ad coenám foras.

65 Vérum si volétis plausum fábulae huic clarúm dare,
Cómíssatum omnes venítote ad me ad annos sédecim.
Vós hic hodie coenátote ambó. *LA.* fiat. *DAE.* plau-
súm date.

FINIS RV DENTIS

VI. 1773. V. 2773A

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text at the bottom of the page.



RICHARDI BENTLEII
DE METRIS
TERENTIANIS
ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ

RICHARDI BRUNNII
DE METRIS
THERIA
EXPLANATA



I. Μονοποδία: Διποδία. "Ἄγρις: Θέσις.

IAMBICVS versus fenorum pedum Latinis veteribus *Senarius* vocabatur, a Pedum et Ictuum numero. Horatius A. P. 251.

*Syllaba longa breui subiecta vocatur Iambus,
Pes citus: unde etiam Trimetris accrescere iussit
Nomen Iambeis, cum Senos redderet ictus
Primus ad extremum similis sibi.*

Sex, inquit, habet Ictus versus Senarius; et tamen Trimetrus siue *Ternarius* Graecis vocatur; quasi tres tantum Ictus redderet, ob pedis celeritatem, praesertim cum totas Iambis puris decurrit. Latini igitur per *μονοποδίαν*, *singulos pedes*, hos versus diuidebant; Graeci per *διποδίαν*, seu *geminatos*. Inde qui Graecis est *Tetrametrus*, Varroni a pedum numero est *Octonarius*. Iuba rex apud Rufinum de Metris p. 2712. (*editionis veterum Latinorum Grammaticorum Putschianae*) Quod autem binis pedibus, et non singulis, scandatur Iambicus, vetus institutum est. Et mox, Unde apparet Heroicum singulis pedibus scandi etiam apud veteres solitum, Iambum autem binis. Marius Victorinus p. 2797. Per *Monopodiam sola Dactylica scanduntur; per Dipodiam vero cetera*. Nesciuit hic Bacehiacos et Creticos, quos etiam Monopodia dimetitur. Diomedes p. 503. *Feritur Senarius Iambicus combinatis pedibus ter.* Terentianus Maurus p. 2432.

*Iambus ipse sex enim locis manet,
Et inde nomen inditum est Senario;
Sed ter feritur, hinc Trimetrus dicitur;
Scandendo binos quod pedes coniungimus.*

Ictus, Percussio dicitur; quia Tibicen, dum rythmum et tempus moderabatur, ter in Trimetro, quater in Tetrametro, solum pede feriebat: "Ἄγρις autem siue *Eleuatio* appellatur; quod in iisdem syllabis, quibus Tibicen pedem accommodabat, Actor *vocem* acuebat ac tollebat. In *Thefi* autem sunt ceterae syllabae, quae Ictu destitutae minus id-

circo audiuntur. Hos Ictus siue *Ægeus*, magno discentium commodo, nos primi in hac Editione per Accentus acutos expressimus, tres in Trimetris, quattuor in Tetrametris:

*Poëta cum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari.*

*Enimvero. Daue, nil loci est segnitiae neque socordiae,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis.*

Et si reuera, quod Romani voluerunt, seni in quoque Trimetro sint Ictus; qui sic exprimi possint,

*Poëta cum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari.*

Verum quia in paribus locis, 2, 4, 6, minus plerumque eleuantur et feriuntur, quam in imparibus, 1, 3, 5, idcirco eos more Graecorum hic placuit omittere. Horum autem accentuum ductu (si vox in illis syllabis acuatur, et par temporis mensura, quae pedis Ditrochaei vel *Ἐπιτέτρας δευτέρας* spatium semper finitur, inter singulos accentus feruetur) versus vniuersos eodem modo Lector efferet, quo olim ab Actore in Scaena ad tibiam pronuntiabantur. Hoc quoque commodi in his Accentibus Lector inueniet; quod statim et ictu oculi Trochaicos ab Iambicis, qui in eadem scaena interdum locum habent, possit distinguere: si Accentus scilicet in prima versus syllaba est, Trochaici sunt; sin minus, Iambici.

II. Caesura.

OMNE versus genus suam habet *Caesuram* siue Incisionem; qua verbum terminatur, et vox in decursu paulum interquiescit. Illa fere Caesura Romanis placuit; quae in priorē tertii pedis syllaba fit: vt in Heroico:

Arma virumque cano | Troiae qui primus ab oris

Italiam fato | profugus Lauiaque venit

Litora, multum ille et | terris iactatus et alto

Vi superum, saeuae | memorem Iunonis ob iram.

Varro quidem apud Gellium XVIII, 15. scribit obseruasse se in versu Hexametro, quod omnimodo quintus semipes (id est, prior pedis tertii syllaba) verbum finiret. Mirum, quod Omnimodo dixerit, cum Lucretius iam tum variauerit,

Reddenda in ratio | ne vocare, et semina rerum.

et Catullus,

Omnia fanda nefan | da malo permista furore.

Postea saepius Virgilius,

Lyrnessi domus at | ta, solo Laurente sepulcrum.

Homerus autem olim saepissime,

Οὐλομένην, ἢ μὴ | εἶ' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε.

Non Omnimodo igitur dictum oportuit; sed Plerumque.

In Sapphico similiter Romani quinto fere semipede:

Pindarum quisquis | studet aemulari,

Iule, ceratis | ope Daedalea

Nititur pennis | vitreo daturus

Nomina ponto.

In Alcaico: *Doctrina sed vim | promouet instam,*

Restique cultus | peiora roborant.

In Phalaecio: *Multis ille bonis | flebilis occidit:*

Nulli flebilior | quam tibi, Virgili.

Sic et in Iambo Trimetro:

Iam iam efficaci | do manus scientiae:

Supplex et oro | regna per Proserpinae,

Per et Dianae | non mouenda numina,

Per atque libros | carminum valentium

Refixa caelo | deuocare sidera.

Hanc Caesurae sedem plerumque in Trimetris seruant

Poetae Comici: vt Noster,

Ne cui sit vestrum | mirum, cur partés seni

Poeta dederit | quae sunt adolescentium,

Id primum dicam | deinde quod veni eloquar.

et itidem Graeci:

Οἱ γὰρ βλέποντες | τοῖς τυφλοῖς ἠγοούμεθα,

οὗτός δ' ἀπολαθεῖ | κάμε προσβιάζεται.

In Iambicis Trochaicisque Tetrametris Caesura plerumque fit post ditrochaicum secundum:

Demissis humeris esse vindito | pectore ut gracilae sient.

Video sentum squallidum aegrum | pannis annisque obstitum.

ILLVD autem in primis notandum; cum Graeci Magistri per διποδίαν Trimetros Iambos scandere iuberent, semper eos intellexisse διποδίαν ιαμβικήν; adeo vt sic diuideretur ex eorum ratione versiculus:

Ne cui sit ve | strum mirum, cur partēs seni

Poeta dede | rit quae sunt adolescentium:

Id primum di | cam, deinde quod veni eloquar.

Οι γάρ βλέπον | τες τοῖς τυφλοῖς ἠγοῦμεθα,

οὗτός ὁ ἀκοῦς | θεῖ καί με πρὸς θιάζεται.

Vbi vides primam Dipodiam in medijs verborum syllabis desinere, totamque Caesurae virtutem ac gratiam misere perire. Quare ego iam ab ipsa adolescentia in omnibus Iambicis praeter Tetrametrum Catalecticum, de quo postea dicam, aliam mihi scansionis rationem institui, per διποδίαν scilicet τροχαϊκήν, hoc modo,

Po | eta dederit | quae sunt adolescentium:

primo semipede quasi subducto et absciso, versu autem in Dactylum vel Creticum exeunte. Siquidem ista διποδία ex Trochaeis duobus, vel vno et Spondeo siue Epitrito secundo constans, Commodare, Commodauī, et cum Caesurae indole conuenit; et verum Iambeī rythmum auribus insinuat; et Poetae, dum versus hos fabricatur, praecipue mentem occupat; et, quod maximum est, in omni fere Comicoꝝ metrorum genere principatum obtinet; veramque causam, cur in vna Comoedia tot versuum species adhibeantur, sola demonstrat.

III. Varietas Metrorum. Iambici, Trochaici.

QVINTILIANVS Institut. Orat. X, I. In Comoedia maxime claudicamus, — licet TERENTII scripta ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen in hoc genere sunt ele-

gantissima; et plus adhuc habitura gratiae, si intra versus Trimetros stetit. Mirificum sane magni Rhetoris iudicium! Optabat scilicet, vt Fabulae Terentianae, quae in primo cuiusque Actu et Scaena a Trimetris inchoantur, eodem metro ac tenore per omnes Actus Scaenasque decurissent. Crederes profecto hominem nunquam Scaenam vidisse, nunquam Comoedum partes suas agentem spectauisse. Quid voluit? quod nec Menander nec vllus Graecorum fecit, Terentius vt faceret? vt ira, metus, exultatio, dolor, gaudium; et quietae res et turbatae, eodem metro lente agerentur? vt Tibicen paribus tonis perpetuoque cantico spectantium aures vel delassaret vel offenderet? Tantum abest, vt eo pacto plus gratiae habitura esset fabula, vt quantumuis bene morata, quantumuis belle scripta, gratiam profus omnem perdidisset. Id primi Artis repertores pulchre videbant; delectabant ergo varietate ipsa, diuersaque ἤθη καὶ πράθη diuerso carmine repraesentabant. Marius Victorinus p. 2500. *Nam et Menander in Comoediis frequenter a continuatis Iambicis versibus ad Trochaicos transit, et rursus ad Iambicos redit.* Non ita tamen agebant veteres, vt ab vno in aliud plane contrarium repente exillirent; ab Iambicis ad Dactylicos; sed in propinquos Trochaicos, ipso transitu paene fallente. Quod vt clarius conspiciatur; omnem Terentianam copiam hic sistam, vnoque et eodem pede Ditrochaeo vniuersam fere emetiar.

ILLVD tamen prius admonendum; vt a Trimetris suas fabulas, rebus sedatioribus, Nostrum inchoasse; ita semper Tetrametris finisse; quod fabulae Catastrophe, cum res turbulenta paulatim et aegre consulescerent, hoc carminis genus postularet, magno spiritu effundendum. Prae omnibus tamen, trochaici pleni firmum Actoris latus requirebant; qui nunquam scilicet nisi in maximo affectuum tumore veniunt; efferendi, non vt quidam autumant, tarde lenteque, sed

Clamore summo, cum labore maximo.

Vnde factum, vt cum alias in διποδία Spondei vel Anapaesti placuerint; in his Trochaei vel Dactyli studio quaerantur:

Crédo equidem illum iam adfuturum, vt illans a me eripiat: sine veniat:

A'tqui si illam digito attigerit, oculi illi illico effodientur. qui versus, nisi toto pulmone exhausto, pronuntiari apte non possunt: in Trimetris vero clamosa haec παθή inarescerent prorsus et obmutescerent.

Ditrochaeis igitur sic constituitur Iambus Trimetrus:

Id | sibi negoti | credidit so | lum dari.

Vi | commodau | commodau | commoda.

Iambicus Tetrametrus plenus:

Dum | témpus ad eam | rém tulit sui | ánimus vt exple | rét suum.

Vi | commodau | commodau | commodau | commoda.

Trochaicus Tetrametrus plenus siue ἀκατάληκτος,

*A' deon' hominem esse | inuenustum aut | infelicem | quénquam
vt ego sum.*

Commodau | commodau | commodau | commodaui.

Trochaicus Tetrametrus syllaba deficiens, siue καταληκτικός,

Quót modis con | téptus spretus? | facta, transacta | ómnia. hem.

Commodau | commodau | commodau | commoda.

Pentametrus καταληκτικός, qui semel iterumue adhibetur,

*Sánu es? Domum | ire pergám: ibi | plúrimum est. Reuo |
cémus hominem. | Sta ilico.*

*Commodau | commodau | commodau |
commodau | commoda.*

In his omnibus commodius est, meo iudicio, διποδίαν τροχαϊκήν Caesurae accommodatam et congruam, quam iamβικὴν ab ea deerrantem, in metiendis versu adificere.

SUPEREST tamen vnus Iambici generis, Tetrametrus καταληκτικός; in quo διποδία veterum Magistrorum iamβικὴ sine controuersia tenenda est; ob ipsam, a qua in aliis discedit, Caesurae concinnitatem:

<i>Nam si remit</i>	<i>tent quippiam</i>	<i>Philúmenam</i>	<i>dólores.</i>
<i>Ἄνδρες Φίλοι</i>	<i>καὶ δήμοται</i>	<i>καὶ τοῦ πονεῖν</i>	<i>ἐξάσαι.</i>
<i>Δημόσθενος</i>	<i>Δημόσθενος</i>	<i>Παιάνευς</i>	<i>ἐγχεῖς.</i>
<i>Vi cōmmoda</i>	<i>ui, cōmmoda</i>	<i>ui, cōmmoda</i>	<i>ui, cōmmo.</i>

Sed et in his διποδία τροχαϊκή tempus quidem et spatium exacte seruat, in Incisionibus tamen peccat. Ceterum vtram velit rationem Lector sequatur: Accentus in huius Editionis Textu ambabus aequè conueniunt: at in nupera quadam, vniuersi huius generis, quorum ingens copia est, versus praua Caesurae distinctione iugulantur:

Concurrunt laeti mi obuiam cup | *pedinarii omnes,*
Cetarii, lanii, coqui, far | *tores, piscatores.*

Cum sic Caesura ponenda esset,

Concurrunt laeti mi obuiam | *cuppēdinarii omnes,*
Cetarii, lanii, coqui, | *fartores, piscatores.*

Illud quoque in hoc genere obseruandum, pedem illum ante Caesuram *Mi obuiam* et *I coqui* semper, vt hic, Creticum vel ei ἰσόχρονον media breuī esse oportere: nullum hic apud Nostrum Licentiae locum esse; non magis quam in fine Senarii. Haec versus horum indoles et sola gratia est: quam in hac Editione incolumem habent; in prioribus verò ante nos innumeris mendis strangulatam et sepultam.

IV. Cretici, Bacchiaci, Choriambici.

PORRO, super hos Iambicos Trochaicosque, etiam Creticis, Bacchiacis, Choriambicisque versibus, sed semel tantum singulis, vtitur Terentius; eisque in Monodia duntaxat, nunquam in Diuerbio: hi, ringente licet inuidia, nobis se apud Nostrum debent.

Creticus: *Tinta ve* | *córdia in* | *náta cuiquam* | *v't fiet.*

Cástitas | *cástitas* | *cástitas* | *cástitas.*

Bacchiacus: *Adhuc Ar* | *chylis quae ad* | *solent quaeque* | *oportet.*

Honestas | *honestas* | *honestas* | *honestas.*

Choriambi- *Obsipuit* | *peccatore con* | *sistere nil* | *consili quit,*

cus: *Cóntremui* | *cóntremui* | *cóntremui* | *cóntremisco.*

F

Hi tamen, more Graeco, nouissimum sibi versum alterius generis adsumunt, vt pro Rythmi ratione cum strepitu ac canore finiantur.

V. Clausulae.

DE Clausulis sic Varro apud Rufinum p. 2707. *Clausulas primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam: vt apud Accium,*

An haec iam obliti sunt Phryges?

Nonnunquam ab his initium: vt apud Caecilium,

Di boni, quid hoc?

apud Terentium, Discrucior animi.

Huic vltimae adde aliam ex Nostro:

Occidi.

Ceterum de Clausulis hoc vno verbo dixisse sufficiat: *Si ab eis initium fit; liberae sunt et nullius metri legibus adstrictae: Si sententiam claudunt; a praecedentibus legem accipiunt. Scilicet post Iambicos Tetrametros, vel Trochaicos Catalecticis, ab Iambo incipiunt: vt illa Accii,*

An haec iam obliti sunt Phryges?

et illae Nostri,

Praesuisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?

Miseram me, quod verbum audio?

Munus nostrum ornato verbis, quod poteris; et istum aemulum,

Quod poteris, ab ea pellito.

Ita semper in ceteris: et ratio est, quod *διτροχαια* *τροχαιων* quasi imo versu continuetur,

Communicatum oportuit: miseram me, quod verbum audio?

Vnde in Trochaico pleno, quo *διτροχαια* consummata est, a Trochaeo incipit:

Proin tu sollicitudinem istam falsam, quae te excruciat, mittas.

Quicum loquitur filius?

Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope est:

Quod si abesset longius.

Hanc sibi legem fixerunt, fancientibus aure ac rythmo, primi artis inuectores: sed in hac tamen ante nos Editiones peccant. Illud porro notandum; in Tetrametris solis apud Nostrum, nunquam in Trimetris, Clausulis locum esse. Neque id omittendum, has et reliquas omnes apud Nostrum Clausulas in Cretico terminari, *Audio, Pellito, Filius, Longius*; vna tantum excepta, Hec. V, 1, quae in Spondeum exit:

Aut ne quid faciam plus, quod post me minus fecisse satius sit.

Adgrédia. Bacchis, salue.

Id tamen iudicio, non casu, a Poeta factum: quippe post hanc solam ex omnibus Clausulam a Tetrametris plenis in Catalecticis Scaena transit, qui Spondeo finiuntur:

Salue, Lache. Edepol credo te non nil mirari, Bacchis.

VI. Licentia Terentiana, qua desleclit a Comiciis Graecis.

DE Licentia veterum Romanorum, Tragicorum Comicorumque, paulo inclementius loquitur Horatius, Arte Poet. 255. Iambicus, inquit, versus

*Tardior vt paulo grauiorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus et patiens; non vt de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus et Enni.
In scaenam missus cum magno pondere versus
Aut operae celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quiuis videt immodulata poemata iudex:
Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcircone vager, scribamque licenter? vt omnes
Vsfuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniae cautus? vitai denique culpam,
Non laudem merui. vos exemplaria Graeca*

*Nocturna versate manu, versate diurna.
 At vestri proavi Plautinos et numeros et
 Laudauere sales: nimium patienter utrumque,
 Ne dicam stulte mirati; si modo ego et vos
 Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
 Legitimumque sonum digitis callemus et aure.*

Candide magis de iis iudicat, venustissimus in tenui materia scriptor, Terentianus Maurus, p. 2433.

*Culpatur autem versus in Tragoediis,
 Et rarus intrat ex Iambis omnibus:
 Vt ille contra, qui secundo et talibus
 Spondeon aut quem comparem receperit.
 Sed qui pedestres fabulas Socco premunt,
 Vt quae loquuntur sumpta de vita putes,
 Vitiant Iambon tractibus Spondiacis,
 Et in secundo et ceteris aequae locis:
 Fidemque sanctis dum procurant fabulis,
 In metra peccant, arte, non inscitia:
 Ne sint sonora verba consuetudinis,
 Paulumque rursus a solutis differant.
 Magis illa Nostris: nam fere Graecis tenax
 Cura est Iambi, vel Nouellis comicis,
 Vel qui Vetus praeculent comoedia.*

Ceterum quod in vtrisque vituperat Flaccus, et in Comicis excusat Maurus, hoc est: Quod in sedibus paribus, secunda et quarta (nempe vterque per dipodiam Iambicam dimetitur: in ratione nostra erunt prima et tertia, pedes scilicet ditrochaeorum priores) non volubiles pedes Iambum aut Tribrachyn, ex rythmi lege ac Graecorum exemplo; sed tardos Spondeos siue alios eis *ισοχρόνους* intulerint. Totum hoc, vno exemplo, et sensu et memoria facile tenebis. Graeci ad hanc formam in Iambicis:

Vi cōmodaui | cōmodaui | cōmoda.

Latini ad istam, non semper, sed quotiescunque vellent:

Vi cōmendaui | cōmendaui | cōmoda.

Vides *menda* spondeum bis positum pro Iambo *moda*: profremam sedem violare nunquam sunt ausi. Idem et in Trochaicis obtinet.

Graeci: *Cómmodau*|*cómmodau*|*cómmodau*|*cómmoda*.
 Latini: *Cómmendau*|*cómmendau*|*cómmendau*|*cómmoda*.

In his pedibus, excepto ultimo, pro breuibus longae syllabae adsumuntur; quod tamen, opinor, celeri pronuntiatione iuuabat et occultabat Actor, ne ipse a Tibicine rhythmum Graecum seruante discreparet.

QVOD ad Crimen autem hoc attinet; Tragicis quidem veteribus minor est excusatio, cur non ad artis regulas versus suos exegerint; cum toto stilo et colore a communi sermone discreti, noua verba ac sesquipedalia pro lubitu sinxerint. Fugiebant scilicet limae laborem; certi se in re ante inexperta et apud aures tum indoctas veniam impetraturos. Melius vero ac mitius de Comicis est sentiendum. Profecto Terentius noster, si quisquam alius, in artis leges arte peccauit; studio, non ignorantia; necessitate vel saltem commoditate inductus; et quaecunque illud delicti est, magnis virtutibus redempturus. Sermo enim ea de causa propius apud Nostrum ad consuetudinem accedit, quam apud Menandrum: oratio apud vnum de medio sumpta deque vita honestiorum ciuium; versus minime caui sed verbis sensibusque spissi: apud alterum, dum metro seruire coactus est, stilius paulo elatior, et sententiae dilutiores. Adde huc, consonantes in Lingua Latina pro vocalium numero frequentiores esse, quam in Attica: adde omnia apud Latinos vocabula, monosyllabis duntaxat exceptis, esse Barytona; de qua re mox plura dicam; et facile pronunties, minoris esse operae atque artis, ad Menandri normam Graece scribere, quam Latine ad Terentii.

VII. *De metris in lingua Anglica vsitatis.*

ENIMVERO par et aequum est, vt eandem veniam veteribus Latinis demus, quam hodiernis qui Anglice scribunt poetis concedimus: quorum nemo est, cui non indulgemus, vt syllabis interdum longis contra indolem rythmi loco breuium vtatur. Nam vt Latini omnia metrorum genera de Graecis acceperunt; ita Nostrates sua de Latinis. Quo magis est dolendum atque indignandum, iam a literis renatis pueros ingenuos ad Daetylica, quod genus patria lingua non recipit, ediscenda, ferula scuticaque cogi: Terentiana vero metra, quae domi tamen et in triuiis inscientes ipsi cantitant, Magistrorum culpa penitus ignorare. Trochaicus Tetrametrus Catalecticus, vt Terentio, ita Nostratibus frequentissimus est:

Ego ille agrestis | saeuus, tristis, | parcus, truculen | tus, tenax.
Happy is the | Country life blest | with content good | health
an' ease.

Qui Trochaicus, vnus syllabae accessione, fiet Iambicus Tetrametrus plenus:

Thrice happy is | the Country life | blest with content | good
health an' ease.

Quin et Iambicus ille *καταληκτικός*, Terentio multum et merito amatus, apud Nostros quoque in magna gratia est:

Nam si remit | tent quippiam | Philumenam | dolores.
He's decently | run through the lungs, | and there's an end |
o' Billy.

Neque vero Bacchiacus Terentii Nostris intactus est:

Adhuc Ar | chylis quae ad | solent quaeque | oportet.
All joy to | great Caesar | long life, love | and pleasure.

Creticum eius quoque lingua nostra facillime admittit:

Tanta ve | cordia in | nata cuiquam | vt fiet.
O the sweet | Country life | blest with health | peace an' ease.

Denique et illud metrum, quod in Epicis et Heroicis iam diu apud Nostrates regnum obtinet, ab Iambico Veterum Senario profluxit, necessitate linguae nostrae, quae tota monosyllabis scatens caesuram Senarii raro admittit, Quinarius factus;

Though deep, yet clear; | though gentle, yet not dull.

Huic in fine sextum Iambum appone; et extemplo habebis Senarium Terentianum:

Though deep, yet clear; though | gentle, yet not dully slow.

Rurfus, si ab hoc Euripidis Senario, qui primus omnium in Orestia venit, Ἠκὼ νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκοτοῦ πύλας; pedem nouissimum auferas; Quinarium iam habebis, perfectissimum hodierni nostri Epici exemplar:

Ἠκὼ νεκρῶν | κευθμῶνα καὶ σκοτοῦ.

Though deep, yet clear; | though gentle, yet not dull.

In Anglico tamen hoc notes velim, tres syllabas positione longas loco breuium poni. Eas tu postea, et quam *Denthamo* veniam concedis, Terentio neges. *Perfectissimum* autem *exemplar* ideo appello; vt Poetis nostratibus, ingenii sane venaque felicibus, sed eruditionis interdum modicis, quid hodierni Epici, quo numeris omnibus absolutus fiat, rythmus geniusque sibi poscat, obiter ostendam; in versibus nempe singulis tres syllabas breues. Hoc sane confitendum est; Auorum tempore, scabros asperosque versus, magno longarum pondere onustos, plerumque exiisse: hodiernos autem poetas longe eos teretiores tarnationesque dare; sed Aure fortassis magistra non Arte; quae tamen Ars principio iudicibus Auribus debebatur. Habent itaque, quod in longo sane opere frustra expectandum, in Epigrammate vel Elegiola facile obtinendum, versus Epici *exemplar*; quo et numerus Breuium et sedes ostenduntur. Quamquam in Nostris est et Varietati locus, vt in his:

*Though deep, yet clear; though gentle, yet not dull;
Strong without rage, without overflowing full.*

Ictus in hoc posteriore, qui in secunda syllaba fieri solet, in prima fit; et venuste quidem; modo raro fiat, ac Breuis sequatur. Et nescio equidem, an in Terentio quoque, cum Trimeter aliquoties inchoet ab *Hicne, Hocine, Sicne, Libera*, non in primam retrahendus sit accentus, *Libera* etc. etiam in Iambico; ob τὸ ἰσόζηρον scilicet et ἰσόμετρον; cum Rythmus, Hephaestione teste, sit Metro potentior. Tale illud Plauti Rudent. II, 6, 29.

Piscibus in alto credo praebent pabulum.

vbi *Piscibus* libentius efferrem, quam *Piscibus*.

VIII. *Licentia Terentiana, qua defleclit a Latinis Epicis.*

SED vt redeam, vnde digressus sum. Vt a Graecis Comicis desciuerunt Latini pro breuibus syllabis tardas infulciendo; ita vitio prorsus contrario peccarunt, corripiendo scilicet eiusmodi syllabas, quae in Latino fermone erant longae. Huius autem Licentiae modum ac fines non cuiusuis est reperisse; cum ex Interpretibus, hi qui laxissime et vltra terminos Licentiam hanc expandunt, monstra nonnunquam et portenta pro veris Lektionibus tuentur; alii contra qui nimis arctis eam finibus claudunt, syllabasque omnes ad Epicorum poetarum normam exigunt, singulos fere versus miseris modis, addendo, mutilando, inuertendo, contra Codicum fidem, iugulant et trucidant. Illud in vniuersum animaduertas velim, nullas eos syllabas, quae natura et vocalis sono longae sunt, corripuisse; sed eas tantum quae per vocalem quidem breues erant, positione tamen et consonantium concursu factae sunt longae. Hae vero voces et numero paucae sunt, monosyllabae fere vel disyllabae, vel cum praepositionibus compositae: et ex ipsa sede situque commodo veniam

merentur. Cum autem in ipso huius Editionis textu singula haec in versibus singulis per Accentuum interuallum sponte se ostendant; non opus est, vt singillatim hic enumerentur. Illud tantum monebo, quod ante me opinor nemo; In primo fere versuum pede, et parcius alias, Licentiam hanc exercuisse Nostrum: idque rectissimo iudicio; cum Actor, in fine prioris versus anima recepta, plenum rapidumque spiritum posset effundere.

Et id grátum fuisse. (Andr. I, 1, 15.)

Sed hoc mihi molestum est. (Ibid. vf. 16.)

Sine inuidia laudem. (Ibid. vf. 39.)

Enimúero, Dava, nil loci est. (Andr. I, 3, 1.)

Sine omni periculo. (Andr. II, 3, 17.)

Propter hóspitai. (Andr. II, 6, 8.)

Sed hic Pámphilus. quid. (Andr. III, 1, 4.)

Bonum ingénium narras. (Ibid. vf. 8.)

Hic est ille: non te. (Andr. IV, 4, 48.)

Is hinc bellum fugiens. (Andr. V, 4, 32.)

Sed eccá ipsa egreditur. (Eun. I, 1, 34.)

Soror dícta est: cupio. (Eun. I, 2, 77.)

Ego excludor: ille. (Ibid. vf. 79.)

Simul consilium cùm re. (Eun. II, 2, 10.)

Négat quis? nego: ait? dío. (Ibid. vf. 21.)

Color vérus, corpus. (Eun. II, 3, 27.)

In hanc nóstram plateam. (Ibid. vf. 53.)

Habent déspicatu. (Ibid. vf. 93.)

Dolet díctum imprudenti. (Eun. III, 1, 40.)

Quid ignáue? peniculón'. (Eun. IV, 7, 7.)

Adest óptime ipse. (Eun. V, 2, 66.)

Sed estne ille noster. (Eun. V, 5, 4.)

Solent ésse: id non fit. (Heaut. V, 2, 40.)

Studet pár referre. (Ad. I, 1, 48.)

Tamen víx humane. (Ad. I, 2, 65.)

Quid huic híc negoti. (Ad. IV, 5, 4.)

Tacet: cúr non ludo. (Ibid. vf. 5.)

Student fácere. (Ad. V, 7, 2.)

- Iubet frater? ubi is est.* (Ad. V, 8, 1.)
Nemini plura ego acérba. (Hec. III, 1, 1.)
Séd osium concrepuit. (Hec. IV, 1, 6.)
Omnia omnes ubi resciscunt. (Hec. V, 4, 27.)
Nempe Phórmionem. (Ph. II, 1, 77.)
Ob hanc inimicitias. (Ph. II, 3, 23.)
Néque Antipho ália. (Ph. III, 2, 17.)
Ob decem mnas, inquit. (Ph. IV, 3, 57.)
Supelléctile opus est. (Ibid. vf. 61.)
Inde sūmam: uxori. (Ibid. vf. 76.)

Hoc, vt vides, Terentii iudicium erat; vt in primo fere pede versus, ubi paratior venia est, Licentia illa vteretur: idcirco excusatio, quod non ipse eam primus intulerit; sed a Plauto, Caecilio, ceterisque tum in scaena regnantibus acceptam retinuerit. Licentia certe erat; et indigna forte, cui Romuli nepotes indulgerent. Nam qui hodie Comicos veteres non excusatum, sed defensum eunt; qui fontem rei causamque et originem deprehendisse se gloriantur; popularem scilicet tunc temporis pronuntiandi morem: vt necesse fuerit Comicis, quae verba communi ciuium sermone spretis consonantibus rapide efferebantur, ea verba in suis Fabulis, quae audiebantur scilicet, non legabantur, corripere: nae illi operoso conatu nihil dicunt, pollicentes magna nihil extricant. Quid enim? si vsus tum ciuium communis,

Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi,

syllabas de quibus agitur, raptim pronuntiabat; iam non Comicorum vel licentia vel crimen est, qui mori obtemperantes eas corripiebant; sed Epicorum, qui vsu improbante producebant. Mutantur tantum Rei; Crimen ipsum non eluitur: aut hi aut illi sunt culpae damnandi. Quibus autem culpa haereat, scitu facillimum est. Priorem in *Ille* et *Esse* constanter producebant Epici; Noster interdum corripit, saepius producit: quodsi recte et ex vsu corripit; tanto saepius, dum saepius producit, peccat.

Propter apud Epicos semper priore longa est: Noster semel corripit, Andr. II, 6, 8.

Propter hospitiâ huiusce consuetudinem.

Si hoc ex consuetudine vulgi; cur intra decimum versum, et vbiq; alias, producit?

Nihil propter hanc: sed est quod suscenset tibi.

Eadem reliquorum ratio est: quibus venia quidem, praefertim hodie, lingua iamdudum emortua, facile conceditur: nisi culpam quis defendendo fecerit maiorem.

CETERVM *abi, domi, redi, dari, roga, iube, tace, vide*, et siqua id genus alia quae vltimam breuem habent, vix est vt Licenter dicas, sed Legitime corripit; cum veteres Epicici idem ius vsurpauerint.

SIMILITER de *Crafi* dicas; qua duae vocales, quarum vna breuis, in vnam contrahuntur: vt *du, deum, deorum, meum, tuum, suum, meorum* etc. *fuit, fuisse*; haec et siqua huiusmodi, iure quoties vellent contrahebant Comici; quia idem Epicis ius erat. Durius quidem Nostratibus sonant *huius, cuius, eius, nouo, leui* in vnam syllabam contracta: verum id eo euenit, quod nos hodie male pronuntiamus. Notum enim est eruditis, consonantes *I* et *V* apud Latinos eodem fuisse sono et potestate, quo hodie *y* et *w*. Pronunties igitur *cuyus, nowo, lewi*, et mollior fiet *Crafi*. Ita Noster *twa, swa, grandyuscula, stellyonino*; plane vt Virgilius *stellyo, abyete* etc. Eadem ratione, cum iam efferrent, vt nos hodie *yam*; in duas syllabas pro lubitu dissoluebant, *nunc iam*. Ceterum in hac Editione vbi *iam* dissyllabon est, notatur diaeresis; et *cutus, huius, eius*, vbi monosyllaba sunt, super *I* habent accentum; vbi dissyllaba, super *V* et *E*, *cuius, huius, eius*.

EII, reii, speii, priore per Ecclasin producta, non indigent venia; cum Lucretius aliiq; olim Epicici idem fecerint. In hac Editione, cum producantur, duplices *I* scribuntur.

NEQUE illud inter Licentias numeres, cum Comici S finale in syllaba breui, sequente tamen consonante, nunquam abiiciunt, vt *tristis*, *famelicus*: siquidem idem facit passim Lucretius. Ceterum quod nos quidam docent, et in syllaba longa hoc solere fieri, et sequente vocali, et totam etiam syllabam cum S saepe refecari, falluntur et fallunt. In *Consimilist*, a priore nihil, sed ab *Est* vocalis refecatur; vt in *Palamst*, *Necessumst*. Multimodis apud Nostrum non diuisim effertur *multi* modis; sed vox vna est vt *omnimodis*: et Lucretius vtraque vitur.

QVIN et vbi Synaloephae vis cessat, et vel vocalis quaequam vel M finales non eliduntur, altera vocali eas excipiente; ne hoc quidem in Licentiis ponas: qualia ista et plura apud Nostrum, *Omnes qui amant*, (Andr. I, 2, 20.) *Mé et aetate*, (Heaut. I, 1, 63.) *Né vbi acceperim*, (Eun. I, 2, 60.) *Quae erat mortua*, (Heaut. II, 3, 46.) *Vna ire cum amica*, (Eun. III, 2, 42.) *Dum id officias*, (Andr. V, 1, 6.) *Quicum vno rem habebam*. (Eun. I, 2, 39) Quippe et Epici, Lucretius, Virgilius, Horatius eodem modo in Hexametris: *Sed dum abest quod auemus*, (Lucr. III, 1095.) *Credimus an qui amant*, (Virg. Ecl. VIII, 108.) *Si me amas inquit*, (Hor. S. I, 9, 38.) *Coclo num adest honor idem*. (Hor. S. II, 2, 28.) In his autem aliisque similibus Tria sunt obseruanda; Nunquam hoc fieri nisi in verbo Monosyllabo; quod verbum si in vocalem exit, oportet Syllabam esse Longam; Ictum denique habere in prima syllaba Anapaesti. Harum vero conditionum ignorantia quot nuper peperit errores? dum et in polysyllabis verbis, et in syllabis breuibus, et in aliena sede, posse fieri hoc existimabant.

ATQUE haecenus de Licentia Terentiana, deque eius limitibus, modicis sane illis neque incommodis: qualem hodie in Poetis nostratibus patriaque lingua patienter ferimus. Quin et ausim polliceri sponforque fore, Quenuis adolescentem, vulgariis modo Prosodiae et Syllabarum quantitatis callentem, lecta vna alteraque Editionis huius

Scaena, suo Marte ac sine Magistro totum hoc quod quaeritur percepturum. Quo magis mirum, quosdam cetera doctissimos, sed in his rebus paulo *εψμα. 956888*, tam immodica verborum pompa se et operam suam efferre: quasi tantae molis esset Romanam nunc Licentiam, quantae olim erat Gentem condidisse. Neque tamen, si ipsi audiendi sunt, immerito gloriantur: cum ex eorum sententia nihil non veteribus Comicis et licuerit et libuerit: vt tam vagae Licentiae limites vltos posuisse, perinde sit ac Sarmatas et Gelonos intra campos suos coercuisse. Nimirum hi non ipsos Poetas, non artem et rythmi genium, sed Librarios sibi duces sumunt; et tot fere Licentiarum species sibi fingunt, quot in toto Plauto Terentioque vitiosae Lectiones nunc restant; vnique loco, qui emendandus erat, ex altero aequae mendoso patrocinium quaerunt. Quid mirum igitur; si quo maior iis tam falsae Metricae notitia accreuit, eo in dies, vt queruntur, magis decreuerit emendationum suarum numerus? Illud, si dubitas, exemplo sit; vbi Plauti auctoritate pedes Creticos in Trime- tris adfiscunt. Locus elegantissimus est, Trinummo I, 2, 168. in *Urbanos* quos vocat *Scurras*,

Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt:
Quod quisque in animo habet aut habiturus est, sciunt:
Sciunt, quod in aurem rex reginae dixerit:
Sciunt, quod Iuno fabulata est cum Ioue:
Quae neque futura neque facta sunt, tamen illi sciunt.

Duos illic Creticos agnoscunt et accipiunt, Dactylorum scilicet Vicarios: neque hoc contenti, *innumera* huiusmodi portenta Plauto suo assignant, *pauca* etiam Terentio. Nos *Pauca* illa iam eiurauimus; de *Innumeris* olim fortasse curabitur. Interea, quid hic Plauti locus sibi postulet, videamus:

Quae neque futura nec facta sunt, tamen illi sciunt.
 Hic duae Longae corripiuntur; duo Cretici veniunt, quone Dactylis quidem, si aurem habemus, venire fas est.

Hosne *numeros* vt *laudauerint* Pisonum proaui? quis Comaedus Actor, ne ipse quidem *Pellio*, vel pretio voluerit emere; vel blaterare haec ad tibiam in Scaena ausus fuerit? non suas potius sibi res Poetam talem habere iusserit? Si Licentiarum nostri de Emendatione desperarunt; humanus tamen erat, de mendo potius confiteri, quam Poetam ipsum proscribere. Vide tamen, quam facilis ea ne quaerentibus quidem se offerat. Tolle illud *Facta*; et Trimeterum, quales hic ceteri sunt, rotundissimum habes:

Quae neque futura, neque sunt, tamen illi sciunt.

Quin et hoc sensus ipse, non metrum solum, efflagitat: nam *Quae futura*, et *Quae sunt*, in eodem genere sunt opposita: non *Futura* et *Facta*. Si illud *Facta sunt* a Poeta esset; dixisset utique, *Quae neque fient neque facta sunt*; atque insuper de duobus peccatis vnum lucratus esset.

IX. *Ars Terentiana.*

RESTAT iam, vt de Arte Terentiana, quae tantopere olim celebrata est, pauca delibemus. Horatius Epist. II, 1, 55.

Ambigitur quotiens uter utro sit prior, aufert

Pacuius docti famam senis, Accius alti:

Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro:

Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi:

Vincere Caecilius grauitate, TERENTIVS ARTE.

Vbi dubium est, artemne Metricam velit, an Comicam: Vtramque opinor: nam in vtraque laude Noster, tam veruum concinnitatis, quam lucidae rerum dispositionis, primas tenebat.

ILLVD sane in Lingua Latina notabile, ne vnum quidem verbum praeter Monosyllaba Tonum in vltima habuisse. *Deum* igitur, *Virum*, *Meum*, *Tuum* priore licet breui pronuntiabant, nunquam nisi in Versu *Deum*, *Virum*, *Meum*, *Tuum*. Quintilianus Instit. I, 5. §. 31. *Est autem in omni voce utique acuta syllaba, nec vltima vquam: ideoque*

in dissyllabis prior. Priscianus p. 1287. *Acutus accentus apud Latinos duo loca habet, penultimum et antepenultimum; apud Graecos autem et ultimum.* Et paulo post: *Apud Latinos in ultima syllaba, nisi discretionis causa, poni non solet accentus.* Donatus p. 1740. *Tonus acutus, cum in Graecis dictionibus tria loca teneat, ultimum penultimum et antepenultimum; tenet apud Latinos penultimum et antepenultimum; ultimum nunquam.* Maximus Victorinus p. 1942. *Acutus, cum apud Graecos tria loca teneat, apud nos duobus tantum poni potest; aut in penultima ut Praelegimus, aut ea quae a fine est tertia ut Praelegimus.* Olympiodorus in Aristotelis Meteora p. 27. *Τότε μὲν Γραικοὶ ἐκλήθησαν, νῦν δὲ Ἕλληνας. τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα οἱ μὲν Ῥωμαῖοι παροξύνουσι, Γραικοὶ λέγοντες. ἡ δὲ κοινὴ διάλεκτος ὀξύνει. καθόλου δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πᾶν ὄνομα παροξύνουσι διὰ τὸν κάμπον. ὄθεν Ἰππεροσέροντες ἐκλήθησαν ὑπὸ τῶν ποιητῶν.* Hoc est, Qui olim Γραικοὶ dicti, nunc appellantur Ἕλληνας. Illius autem verbe penultimam Romani acuiunt, dicentes Γραικοί; sed communis sermo acuit ultimam Γραικοί. Et uniuersim Romani in quacunque voce penultimam vel antepenultimam acuiunt, propter Fastum et Grandiloquentiam: unde a Poetis dicuntur Ἰππεροσέροντες, feroces et superbi. Ceterum quod hic Fastui tribuit, id dialecto Aeolicae, unde Lingua Latina partem maximam profluxit, rectius imputatur. Aeolenses enim, vt notum est, βαρύτονοι erant, et ὄσιος, Ἄνη pronuntiabant, cum alii ὄσιός, Ἄνη.

IAM vero id Latinis Comicis, qui Fabulas suas populo placere cuperent, magnopere caendum erat; ne contra Linguae genium Ictus seu Accentus in quoque versu syllabas verborum ultimas occuparent. Id in omni metro, quoad licuit, obseruabatur; vt in his,

*Arma virumque ceno, Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Laioaque venit
Littora; multum ille et terris iactatus et alto
Vi superum, saeuae memorem Iunonis ob iram.*

Qui perite et modulate hos versus leget, sic eos, vt hic accentibus notantur, pronuntiabit; non, vt pueri in Scholis, ad singulorum pedum initia,

Italiã fatò profugis Lauinaque uenit,

sed ad rythmum totius versus. Vbi nulla vox, vt vides, accentum in vltima habet, praeter vnicam illam *Virum*: idque recte ob sequens Encliticon *Que*: quod hic semel dictum, in Terentio passim fieri animaduertes. Idem efficiunt *ME, TE, SE*: *Miserãm me quod verbum audio?* quippe haec Latinis, vt etiam *REM*, Enclitica sunt, vt Graecis *ME, SE*. Eadem est et Interrogationis vis; siue cum *Ne* Enclitico, siue absque *Ne*. In hac igitur concinnitatis laude palmam omnibus praeripuit Terentius; eamque vt consequi posset, vt et vetitos *Ictus* effuge et, et vocabula tamen significantiora semper sub *Ictu* poneret; non minore studio iudicioque verba disposuit, et a prosae orationis ordine decenter inuertit, quam mirificus in hac materie artifex ipse Virgilius.

PRISCIANVS De versibus comicis narrat, *Fuisse quosdam qui abnegarent vlla esse in Terentii Comoediis metra; vel ea, quasi arcana quaedam et ab omnibus doctis semota, sibi solis esse cognita confirmarent.* Ibidem ait, *Omnes quidem Comicos, crebris Synaloephis et Episyualoephis et Collisionibus et Abiectionibus S literae, fuisse usos sciando, versus suos; TERENTIUM AUTEM PLUS OMNIBVS.* Verum profecto hoc est; et causa vnica, cur Magistelli isti vel negarent metra esse apud Nostrum, vel vt arcana quaedam venditarent. Quod vero hic queritur et criminatur magis Grammaticus, non vitium est, sed virtus Terentii prima: qui Synaloephas illas data opera confectatus est; quo syllabae vltimae liquescerent coalescerentque cum sequentibus; eoque vetiti ac vitiosi in vltimis *Ictus* artificiose effugerentur. Hae vero Synaloephae, quae tenebras olim Magistris offuderunt, iam in hac Editione, Per-

cussionum interuallis distincta, ne pueris quidem negotium facessent.

Τοῦτον autem hoc, quod de Ictu in vltimis syllabis cautum fuisse diximus, de secunda tantum Trimetri *διποδία* capiendum; nam in prima et tertia semper licuit; siquidem ista sine venia conclamatum actumque erat, de Comoedia Tragoediaque Latina. Cum igitur hunc versum similesque apud Nostrum videris,

Μαλὴν quod *ἴσθι* di *δεαε*que omnes *δυντ*:

caue vitio id poetae verteris; etsi *Μαλὴν* illud et *Ομνὲς* si in communi quis sermone sic acuisse, deridiculo fuisset. Nimirum aures vel inuitae patienter id forebant, sine quo ne vna quidem in Fabula Scaena poterat edolari. Quin et Graecos ipsos eadem tenuit necessitas, eadem passa est indulgentia. Cum Aristophanes dixit,

Δουλόν γεῖσθαι παρὰ Φρονούντος δίσποτα,

cum Euripides,

Ἠκῶ νεκρῶν κευδμῶνα καὶ σπυτοῦ πύλας,

idem admiserunt in *Δουλόν* et *Ἠκῶ*, quod Noster in *Μαλὴν* et *Ομνὲς*: ipsi enim alibi priorem acuunt, *Δδδλόν* et *Ἠκῶ*.

In secunda igitur Trimetri *διποδία* hoc de quo agimus non licebat. Gellius XVIII, 15. *In Senariis versibus animaduertentur Metrici duos primos pedes, item extremos duos, habere posse singulos integras partes orationis, medios haud unquam posse: sed constare eos semper ex verbis aut diuisis aut mixtis atque confusis.* Quotus quisque hoc vel intelligat? nedum vt Senarios per singulos pedes scandendo tempus in hac obseruatione conterat? At in hac Editione vel aliud agentibus in oculos incurrit; simulque ratio, quam Metrici isti tacent, plane apparet. Hoc illi voluerunt, in his et similibus Senariis,

Venit Chremes postridie ad me clamitans.

Manstuetique animi officia, quid multis moror?

duos primos duosque postremos pedes singulis verbis claudi, et recte: at pedem tertium quartumue non posse recte. Cur hoc? quia tum necesse est, ut Ictus in ultimas syllabas cadant; quod, ut dixi, in prima vltimaque *ditrodiā* solet fieri; in media nec solet et vix vnquam licet. Rarissime igitur, semel atque iterum, sed magno sententiae Iuro, admisit hoc in Trimetris Terentius:

Persuāsi nox, amor, vinum, adolescentia.

Scelēsa ouem lupō commisi, disputet.

Nam illud, *Nosse omnia haec salus est adolescentibus*, in hac Editione *Saluti* est. Notandum quoque in *Amor* et *Lupō* priorem breuem esse, et ex Musicae rationibus ita oportere; vt apud Horatium,

Iam iam efficaci do manus scientiae.

Ad pernicacis heu pedes Achillei.

Et similiter in verbo trisyllabo duos Ictus recipiente, si id *ditrodiā* trochaicam inchoat, media erit ex arte breuis,

Nisi pol filium multimodis expeto, ut redeat domum.

Ita recte hic editum, non *Expeto*; vt et alia plurima, quae ante nos vitiosa seiebantur, in omni versuum genere hic corriguntur.

IO. MATTHIAS GESNERVS

AD QVINCTILIANVM IX, 4, 75.

Cacterum illam ipsam de *ditrodiā*, tribusque adeo senarii percussionibus, a quibus *trimeter* vocatur, doctrinam reuocauit quasi ex longa obliuione, et ad Terentii fabulas integras omnes magno sane litterarum beneficio applicauit Richardus Bentleius.

GABRIELIS FAERNI
DE VERSIBVS COMICIS
LIBER IMPERFECTVS

Comici poetae duobus maxime vsi sunt versuum generibus, *iambico* atque *trochaico*. Quae duo genera quia post heroicum versum, quem et longum et hexametrum nominamus, maxime illustrata sunt, visum est nobis de iis, non quatenus modo a comicis, sed in vniuersum quatenus etiam ab lyricis et epigrammaticis et cultioris seculi tragicis poetis sunt vsurpata, differere. Atque eo magis, quia in his versibus, ac maxime iambicis, multa nos obseruauimus in ratione numerorum, pedumque collocacione, quae ab nostrae aetatis poetis vel ignorari vel negligi passim videmus: et de iis nobis alias differendi nulla vnquam forte dabitur occasio. Ac primum de iambico tractabimus, quod et is versus trochaico antiquior: et generibus ac legibus iambici cognitis, ea quoque quae de trochaico dicemus, facilius intelligentur.

Iambici ergo sunt, qui proprium pedem iambum habent, quem et in omnibus locis admittunt, et in vltimo, seu vicem vltimi obtinente, necessario exigunt: vltima tamen semper syllaba indifferente. Eorum alii *dimetri*, qui pedibus quattuor constant; alii *trimetri*, qui sex; alii *tetrametri*, qui octo: sunt et qui monometros, pedum duorum, faciant; item pentametros, pedum decem; et hexametros, duodecim. Sed nos genera vltiora persequimur. Trium igitur superiorum generum alii *acatalectici*, qui iustae mensurae sunt; alii *catalectici*, vna syllaba breuiores; alii *hypercatalectici*, vna syllaba longiores. Hi rursus omnes aut *puri* sunt, aut *mixti*. *Puri* sunt, qui vel toti ex iambis constant, vel certe iambum in paribus vtique locis habent, in imparibus vero et spondeum recipiunt: alii quidem in omnibus; alii in aliquibus. In omnibus recipiunt omnes acatalectici, item dimetri hypercatalectici, et trimetri catalectici: in aliquibus vero dimetri catalectici, qui in prima; et tetrametri catalectici, qui et in hac et in quinta. De trimetris ac tetrametris hypercatalecticis nullam mentionem facimus, quia eos in vsu non inuenimus. Sed ex acatalecticis vnum versuum genus existit, quod tragicum, ab tragoedia in qua vsus est, possumus appellare, hoc a ceteris differens, quod in dimetri tertia, tetrametri et hac et septima sede, iambum non admittit. Ne trimetri quidem quinta: nisi ita demum, si versus in dictionem quae sit paeon secundus vel dianubus, cadat, quod tamen admodum raro contingit. Huius versus, id est trimetri, duorum extremorum pedum ordine commutato, nascitur *scæzon*, iambum semper in quinta, spondeum semper in vltima habens.

Ex his omnibus versuum generibus alia quidem pedes omnes habere constantes scitis diuisisque inter ipsos dictionibus possunt; alia non possunt. Prioris generis sunt dimetri omnium generum: catalectici quidem, vt,

Quem nemo vidit unquam,

apud Prudentium; (Cathem. 6. 2.) acatalectici, vt,

Lucana muret pasqua.

(Horat. Epod. 1. 28.) hypercatalectici, vt,

Ornare puluinar deorum.

(Hor. Carm. 1. 37. 3.) Item ex trimetris catalectici, vt,

Trahunt quo siccas machinae carinas.

(Hor. C. 1. 4. 2.) acatalectici, quibus parem rationem obtinent

trimetri quos tragicos appellauimus, et scazontes, vt,

Novisque rebus infidelis Allobrox.

(Hor. Epod. 16. 6.) Posterioris autem generis sunt tetrametri

catalectici et acatalectici: nam vtrique quartum pedem abruptum

à quinto habere necessario debent, ita vt omnino quarto quoque

pede dictio finiat. Exemplum tetrametri catalectici subieci

e Catullo: (10. 1.)

Cinaede Thalle mollior cuniculi capillo.

acatalectici ex Seneca: (Agamemn. 761.)

Fere laeua semustas faces, ardentque pallentes genae.

Rursum ex his omnibus, alii habere pedes omnes constantes sin-

gulis dictionibus possunt; alii non possunt. Possunt dimetri aca-

talectici, vt,

Podex, velut crudaе bovis,

apud Horatium, (Epod. 8. 6.) et,

Phoebus inbet verum loqui,

apud Ausonium. (Epist. 10. 8.) Non possunt ceteri omnes. At-

que hi qui non possunt, in certis tamen sedibus possunt: in cer-

tis, nequaquam. In quibus possint, perspicuum erit, si, in quibus

non possint, demonstrauerimus. Non possunt dimetri hyperca-

talectici in secunda sede: eum enim pedem habere debent, vel

cum primo coniunctum, vt,

Depone, sub lauru mea, nec.

(Horat. Carm. 2. 7. 19.) vel cum tertio, vt,

Nomen bear: qui deorum.

(Hor. C. 4. 9. 47.) vel duabus dictionibus monosyllabis, aut mono-

syllabam vicem per elisionem in scansione obtinentibus, con-

stantem, vt,

Vates, neque in terris morabor.

(Hor. C. 2. 20. 3.) Item non possunt vltimum pedem omnes cata-

lectici: eum enim, vel eius posteriorem syllabam, cum catalexi

in vna dictione connexam habere debent. Atque eo amplius

tetrametri quidem catalectici, ex primis quattuor pedibus saltem

duos; acatalectici, ex prioribus, et posterioribus quatuor saltem binos; trimetri vero catalectici, tertium pedem: eum enim vel ex penthemimeri, vel ex monosyllaba dictione quae in loco penthemimeris, et sequenti syllaba longa constantem habere. Exemplum monosyllabi (nam de penthemimeri clarius est quam ut exemplo egeat) est in hoc versu: (Hor. C. 1. 4. 16.)

Iam te premet nox fabulaeque inanes.

Ad eum modum, quoad tertium duntaxat pedem, fuit et trimetri acatalectici, ut apud Horatium: (Epod. 17. 25.)

Virget diem nox et dies noctem, neque est.

Cui versui si verbum substantiuum in fine positum demas, remanent omnes pedes, tertio excepto, singulis dictionibus constantes: quod idcirco animaduerti volumus, ut appareat, vim harmoniae huius versus in tertia sede consistere. Sed acatalecticus eo differt a catalectico, quod etiam sine penthemimeri, vel eius loco monosyllaba dictione, bonum habere numerum potest: modo, duo scilicet metri pedes inter se connexi colligatiue sint, siue in vna dictione, ut apud Horatium, (Epod. 1. 19.)

Ille assidens impulsibus pulvis auis,

seu pluribus, ut apud Senecam, (Med. 545.)

Pietos vexat: namque istud hauri possum pari.

In quo versu vides, duos primos pedes et duos vltimos singulis dictionibus constantes; duos vero medios partim diuisis, partim mixtis atque confusis. Quod si quis tertium pedem posuerit, vel vnica dictione constantem, vel eum ea finientem quae monosyllabam excedat, versum, meo quidem iudicio, omni numero carentem atque immodulatissimum esse erit. Atque hoc non in trimetris modo iamblis acatalecticis locum habere obseruauimus, sed et in heroicis, quos et longos et hexametros nominamus.

Moneamus autem lectorem, ut, si quos forte versus in impressis poerarum libris huic regulae repugnantes deprehenderit, sententiam suam tantisper suspendat, donec consuluerit libros scriptos: quorum nos auctoritate nixi, haec asseueramus. Nam in impressis et nos aliquot versus inuenimus hanc regulam conturbantes, qui ut in antiquis exemplaribus leguntur, eam roborant atque confirmant. Atque adeo non grauabimur aliqua hic exempla subiicere corruptorum versuum ac deinde emendatorum, non trimetrorum modo, sed etiam heroicorum, quos, quoad hanc regulam, eandem obtinere rationem supra diximus. In his ergo qui proxime sequuntur tribus versibus, primo iambrico Catulli, (29. 21.) duobus aliis heroicis Horatii, (Serm. 1. 9. 47. et Epist. 2. 2. 65.) videre est tertium pedem vnica dictione constantem:

Quem Galliae timent, timent Britanniae.

Hunc hominem si velles tradere, dispaream ni.

Praeter cetera Romae mense poemata censes.
Sed versum Catullianum ita habent libri scripti:

Quem Galliae timeris, et Britanniae.
quem nos duarum tantum literarum additione ita emendamus:
Quem Galliae timeris et Britanniae.

Horatianos vero hoc modo legimus ex libris scriptis:
Hunc hominem velles si tradere, dispeream mi.
Praeter cetera me Romaens poemata censes.

In sequenti vero iambico trimetro Senecae (Thy. 233.) videre licet tertium pedem cum dictione quae maior est monosyllaba, finientem:

Fatale saxo pecus muro regens.
qui tamen ex libris scriptis ita legendus est:

Fatale sacro pascuum muro regens.
In his omnibus, prout in impressis leguntur, aures erudite malum numerum et absurdum sonum sentire possunt; in restitutis vero, harmoniam et gratiam: nimirum quia in tertio pede tota vis numeri horum versuum est.

Rursus iambicorum, spondeum recipientium, alii certis in locis pro iambo tribrachum; alii et hunc, et praeterea pro spondeo anapaestum et dactylum; et eorum aliqui etiam proceleusmaticum, vel aliquos eorum, qui omnes pedes in spondeum resoluuntur, admittunt: alii non admittunt. Tribrachum admittunt trimetri catalectici: quod semel tantum, idque in secunda sede, apud Horatium animaduertimus in ode quae incipit, (2, 18.) *Non ebir neque auream, in eo versu: (34.)*

Regumque pueris: nec satellites orci.
Item admittunt et hunc pedem, id est tribrachum, et praeterea dactylum et anapaestum, dimetri, quorum pedes vel omnes, vel certe aliqui, aut diuisi, aut mixti confusi que inter se dictionibus constant, in his sedibus quas in subiectis exemplis videre licet. Tribrachum quidem in prima, ut apud Aufonium, (Epiqr. 146. 32.)

Celeripedis compentili.
In secunda, apud Horatium, (Epod. 2. 62)

Videre properantes domum.
Dactylum in prima tantum, apud Horatium, (Epod. 3. 8.)

Canidia trahit dapas.
Anapaestum in prima apud Aufonium, (Epiqr. 50. 6.)

Generisque necuri filios.
et in tertia apud eundem, (Epist. 16. 91.)

Lallique somniferos modos.
et apud Senecam, (Med. 778.)

Qui virus Herculeum bibit.
Dactylum vero vel tribrachum in tertia in hoc genere versus nusquam inuenimus.

Item admittunt supra dictos pedes trimetri acatalectici, in iis sedibus, quas infra dicemus. Tribachum quidem in prima, apud Horatium semel tantum, (Epod. 11. 27.)

Sed alius ardor aut puellae candidae.
Apud Senecam, vero saepe, nec praeterea apud quemquam alium. In secunda apud Horatium, vt, (Epod. 1. 27.)

Pecusque Calabris ante sedus feruidum.
In tertia et quarta apud eundem, (Epod. 17. 12.)

Alitibus atque canibus homicidam Helectorem.
Ne in hoc quidem genere dactylum, vel tribachum in penultima sede usquam inuenimus, nisi apud Senecam, idque admodum raro, neque aliter quam si versus in dictionem quae sit proceleusmaticus, cadat, vt, (Med. 268.)

Virile robur, nulla famae memoria.
Anapaestum in prima et quarta apud eundemmet Horatium, vt, (Epod. 2. 35.)

Paudamque leporem, et aduenam laqueo graem.
In tertia apud Senecam tantum: neque id aliter, quam si post secundum pedem cum dictione finitur, sequatur dictio quae sit paeon tertius, hoc modo; (Med. 911.)

Uiuas, inuas, rapuisse fraternum caput.
Dactylum in prima apud Horatium, exemplo quod supra posui, *Alitibus atque canibus homicidam Helectorem.*

In tertia apud eundem; (Epod. 5. 49.)
Quid dixit aut quid tacuit? orebus meis.
Et hac ratione potest hic versus tertium pedem finire cum dictione quae sit pyrrhicius, vt, (ap. Martial. 1. 3. 3.)

Cur in theatrum Cato se uere uenisti?
In quinta sede tribachum nunquam inueni, ne dactylum quidem, nisi versus in dictionem quae sit proceleusmaticus, [adde, vel paeon quartus,] terminetur, vt apud Senecam, idque perraro;
Socii tu malorum machinatrix facivorum.
(Med. 266.) et,

Virile robur, nulla famae memoria.
Proceleusmaticum in prima, apud Senecam tantum, idque saepiuscule, vt,

Pauet animus, arsus horridus quassat tremor.
(Troad. 168.) et, (ibid. 948.)

Vide, ut animus ingens lactus audierit necem.

Haec tamen duo postrema, quae diximus de dactylo in penultima, item de proceleusmatico, solis tragicis licere existimamus.

Scanzones eosdem quos recli trimetri, pedes recipiunt, praeterquam proceleusmaticum, item tribachum in prima. Martialis tamen et solus et semel dixit, (3, 93. 12.)

Et anatis habes vropiugum siccae. *anapaestum* in quo illud dibrum est, vtrum tribrachum in prima posuerit, an penultimam in *anatis* produxerit, quae aliqui breuis est, iuxta illud Ruffini *), *Latipedemque anatem*. Tribrachum in quarta apud nullum alium poetam inueni, quam Maritalem, quod tamen non placet mihi, vt, (3, 58. 7.)

Et multa fragrat resta senibus autumnis.

Nec anapaestum in tertia apud vllum alium, quam apud eundem, vt, (4, 70. 3.)

Fieri puer potuisse quis, Maronille?

Item tetrametri catalectici, quod genus versus apud Senecam solum in Agamemnone reperimus, dactylum in quinta recipiunt, vt, (759.)

Instant sorores squallidae sanguinea iactant ubera.

Et haec quidem versus genera alios pedes praeter spondeum et iambum admittunt. Non admittunt autem ex dimetris neque catalectici, neque illi duntaxat catalectici quorum omnes pedes singulis dictionibus constant, neque hypercatalectici, neque trimetri catalectici.

Rursum omnia iambici genera alios pedes admittere possunt singulis dictionibus constantes, alios non possunt. Possunt iambum et spondeum omnia genera in omnibus sedibus, praeterquam in his in quibus supra diximus pedes singulis dictionibus constantes esse non posse; tribrachum vero et anapaestum dimetri, sedis confusae dictionibus vel ex toto vel ex parte constant, et trimetri catalectici in his duntaxat sedibus quarum exempla subiecimus. Tribrachum dimetri in prima apud Aufonium, (Epigr. 146. 28.)

Veniat in aures vt meas.

Trimetri apud Senecam, (Herc. Fur. 244.)

Peperit ab ipsis nubibus Strymonialidas.

Anapaestum in eadem sede dimetri apud Aufonium, (Epist. 16. 23.)

Column curulis Romulae.

Trimetri apud Senecam, (Octau. 75 v.)

Stabilis futurus spondeo aeternae domus.

Item hunc pedem trimetri in penultima apud Horatium,

Pausidumque leporem, et auenam laqueo gruam.

Dactylum trimetri apud Senecam, (Phoen. 283.)

Innocae, et virgos exal, atque arbes mouer.

Hactenus de modulato iambicorum genere tractauimus; nunc de immodulatis differemus. Immodulati sunt, qui vnico tantum iambo, eoque, si sint tetrametri catalectici, in quarta

*) Sic dicit Rufum Festum Auenium, cuius iste versus est, ex *Metaphrasi Aratea* 358: *Latipedemque anatem cernes excedere ponto.*

INDEX METRORVM IN RVIDENTEM PLAVTINAM

- PROLOGVS. vf. 1 — 82. Iambici trimetri.
- ACT. I. Sc. I. vf. 1 — 6. Iambici trimetri.
- Sc. II. vf. 1 — 94. Iambici trimetri.
- Sc. III. vf. 1 et 2. Anapaestici.
3. Iambicus dimeter hypercatalectus.
- 4 — 9. Anapaestici.
- 10 — 14. Bacchiaci.
15. Dactylicus.
16. Iambicus trimeter.
17. Bacchiacus.
- 18 — 20. Anapaestici.
21. Iambicus dimeter.
22. Iambicus trimeter.
- 23 — 25. Cretici.
26. Dactylicus.
- 27 et 28. Bacchiaci.
- 29 et 30. Iambici dimetri.
- 31 — 40. Cretici.
- 41 et 42. Anapaestici.
43. Trochaicus tetrameter acatalectus.
- 44 et 45. Iambici tetrametri catalectici.
- Sc. IV. vf. 1 — 9. Trochaici tetrametri acatalecti.
10. Iambicus dimeter.
- 11 et 12. Trochaici tetrametri acatalecti.
13. Trochaicus dimeter catalecticus.
14. Iambicus trimeter.
- 15 — 34. Cretici.
- 35 — 38. Iambici trimetri.
39. Iambicus dimeter.
- Sc. V. vf. 1 — 6. Bacchiaci.
7. Creticus.
8. Iambicus dimeter catalecticus.
- 9 — 19. Cretici.
20. Anapaesticus.
- 21 — 25. Bacchiaci.
26. Trochaicus tetrameter catalecticus.
- 27 et 28. Iambici trimetri.
29. Trochaicus tetrameter catalecticus.
30. Bacchiacus.
31. Iambicus dimeter hypercatalectus.

- ACT. II. Sc. I. v. 1—16. Iambici tetrametri catalectici.
 Sc. II. v. 1—24. Iambici tetrametri catalectici.
 Sc. III. v. 1—82. Iambici tetrametri catalectici.
 Sc. IV. v. 1 et 2. Iambici tetrametri acatalecti.
 3—28. Trochaici tetrametri catalectici.
 29—36. Iambici trimetri.
 Sc. V. v. 1—27. Iambici trimetri.
 Sc. VI. v. 1—74. Iambici trimetri.
 Sc. VII. v. 1—34. Trochaici tetrametri catalectici.
- ACT. III. Sc. I. v. 1—20. Iambici trimetri.
 21. Trochaicus tetrameter acatalectus.
 Sc. II. v. 1—49. Trochaici tetrametri catalectici.
 Sc. III. v. 1—12. Cretici.
 13. Anapaestici. *Hoc eiecto versiculo, nihil deesse neque ad sententiam neque ad orationem.*
 14. Iambicus tetrameter catalecticus.
 15 et 16. Cretici.
 17. Iambicus trimeter.
 18 et 19. Cretici.
 20—44. Iambici tetrametri catalectici.
 Sc. IV. v. 1—73. Trochaici tetrametri catalectici.
 Sc. V. v. 1—58. Iambici trimetri.
 Sc. VI. v. 1—53. Iambici trimetri.
- ACT. IV. Sc. I. v. 1—14. Iambici trimetri.
 Sc. II. v. 1—6. Bacchiaci.
 7—10. Anapaestici.
 11—14. Bacchiaci.
 15. Iambicus dimeter.
 16. Trochaicus tetrameter catalecticus.
 17—33. Trochaici tetrametri acatalecti.
 Sc. III. v. 1. Trochaicus tetrameter catalecticus.
 2. Trochaicus tetrameter acatalectus.
 3—11. Iambici dimetri.
 12—15. Iambici tetrametri catalectici.
 16—21. Cretici.
 22—35. Anapaestici.
 36—117. Trochaici tetrametri catalectici.
 Sc. IV. v. 1—139. Trochaici tetrametri catalectici.
 Sc. V. v. 1—7. Trochaici tetrametri catalectici.
 Sc. VI. v. 1—14. Iambici dimetri.
 15—19. Trochaici tetrametri catalectici.
 Sc. VII. v. 1—17. Trochaici tetrametri catalectici.
 Sc. VIII. v. 1—38. Iambici trimetri.
- ACT. V. Sc. I. v. 1—16. Trochaici tetrametri catalectici.
 Sc. II. v. 1—7. Iambici tetrametri catalectici.

Sc. III. vl. I — 50. Iambici tetrametri catalectici,
51 — 69. Iambici trimetri.
Sc. IV. vl. I — 67. Trochaici tetrametri catalectici.

Sunt omnes omnino versus numero 1431: quorum

- 2 sunt Iambici tetrametri acatalectici.
- 211, Iambici tetrametri catalectici.
- 503, Iambici trimetri.
- 2, Iambici dimetri hypercatalectici.
- 29, Iambici dimetri acatalectici.
- 1, Iambicus dimeter catalecticus.

748 Summa versuum generis Iambici.

*

- 31, Trochaici tetrametri acatalectici.
- 519, Trochaici tetrametri catalectici.
- 1, Trochaicus dimeter catalecticus.

551 Summa versuum generis Trochaici.

*

2, Dactylici.

33, Anapaestici.

67, Cretici.

30, Bacchiaci.

132 Summa versuum ex his generibus metri, quorum usus
in Monodia siue Cantico dominatur.

ACTVVM et SCENARVM eodem, quae vulgo recepta est,
DIVISIO locum hic habet: nisi quod.

Actus V Scenam I fecimus eam, quae prius erat Actus IV
Scena VIII et ultima: tum quod

Actus IV Scenam V fecimus eam, quae antea Scenae IV velut
eius pars adiecta erat.

Ergo, quam alii numerant Actus IV Scenam V, VI, VII et VIII,
ea hic numeratur Actus IV Scena VI, VII, VIII, et Actus V Scena I.

VERSVM NUMERVS iis in Scenis, in quibus erant male
vel coniuncti vel disiuncti, quod vitium maxime in Canticis huius et
altarum Plauti fabularum occurrit, eo vitio sublato non potuit non
alius existere.

CORRIGENDA

- Prol.* vs. 16 — 18. sic lege atque interpunge:
 Condit ille scit, quis hic quaerit malum;
 Qui hic litem adipifci postulant periurio
 Mali; res falsas qui impetrant apud iudicem.
- Act. I. Sc. II.* vs. 11. Daemones. vs. 13. totam.
 Sc. V. vs. 31. oportet.
- Act. II. Sc. II.* vs. 3. huc obuiam.
 vs. 15. Præc. Cum istiusmodi.
 Sc. III. vs. 7. Quid agis tu hic?
 vs. 59. nōscere potis esset.
- Act. III. Sc. IV.* vs. 7. ancillas.
 Sc. VI. vs. 43. fures mi estis.
- Act. IV. Sc. III.* pag. 45. error rollendus est ex inscriptione:

SCENA est non SECUNDA sed TERTIA.

vs. 16. GR. Ecquid est.

vs. 42. GR. dominus huic.

Locum istum in hac Scena III, qui est a versu 16 ad
 21, sic nunc malim digerere, sex versibus in quatuor col-
 latis, præsertim quum editiones priores eum in eodem
 versus diuisum exhibeant, licet aliae aliter:

GR. Ecquid est quod mea id referat? TR. scilicet.
 sed boni consili.

Ecquid in te mihi est? CR. quid negoti est, modo
 dice. TR. dicam, tace,

Si fidem das modo, te mihi non fore infidum.

GR. Do fidem, fidus esco tibi, quisquis es. TR.
 audi.


Ut horum Creticorum versuum priores duo sint hexa-
 metri acatalecti; posteriores duo, pentametri catalectici
 in disyllabum. Nam particulae MODO syllabam ulti-
 mam Plautus interdum etiam producit, non semper cor-
 ripit. Ut in hac ipsa fabula V, 2, 2.

Quem ad recuperatores modo damnauit Pleusi-
 dippus.

Ira et in tace, tene, vide, similibus, ultimam alibi qui-
 dem corripit, et id sæpius, alibi autem producit. Sed
 ultimam in MODO particula velut ancipitem producere
 licuit etiam poetis qui sub Imperatoribus floruerunt,
 arguente id exemplo versus anapaestici, qui est 273 ex

Octavia; tragoedia Senecæ adscripta:

Quae fama modo venit ad aures.



14/6

Ci 1258

ULB Halle


3

004 166 493



m. e.





M. ACCI PLAVTI
RVDENS

AD EDITIONVM ANTIQVARVM FIDEM
TVM AD CRITICORVM EMENDATIONES
ET AD METRICAE LEGIS NORMAM
PASSIM REFACTA

METRO IN SINGVLIS VERSIBVS NOTATO
APPOSITIONE APICVM
IN IAMBICIS ET TROCHAICIS PER DIPODIAS
IN ANAPAESTICIS ET CRETICIS ET BACCHIACIS
PER MONOPODIAS

ACCEdit
RICHARDI BENTLEII
DE METRIS TERENTIANIS
ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ

ITEM
GABRIELIS FAERNI
DE VERSIBVS COMICIS
LIBER IMPERFECTVS

EDIDIT
FRIDERICVS VOLGANGVS REIZIVS

LIPSIAE APVD SVIKERTVM
c13 1800 LXXX IX

Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black